Cum veniſſent, *de in integr. reſt.* 2. 41. 555
Cum vigeſimum, *de offic. jud. del.* 41. 29. 413
Cum vos, *de offic. jud. ordin.* 4. 31. 432
Cum Vvintonienſis, *de elect. & elect. poteſt.* 25. 6. 174
Cuſtos Eccleſiæ, *de offic. cuſtod.* 1. 7. 360
Cuſtos vero, *de offic. cuſt.* 2. 27. 362

D

DAmnamus, *de ſumm. Trinit.* 2. 1. 18
Debitum, *de bigam. non ordinand.* 5. 21. 331
De cetero, *de tranſact.* 5. 36. 510
De cauſis, *de offic. jud. del.* 4. 29. 375
De eo, *de temp. ordin.* 3. 11. 246
De familiis, *de ſerv. non ordinand.* 3. 18. 311
De presbytero, *de corp. vitiat.* 1. 20. 321
De ſervorum, *de ſerv. non ordin.* 2. 18. 307
Dilecta, *de major. & obed.* 12. 33. 476
Dilecti, *de remunc.* 15. 9. 239
Dilecti, *de major. & obed.* 13. 33. 478
Dilecti, *de arb.* 4. 43. 582
Dilecto, *de offic. Archid.* 10. 23. 351
Dilecto, *de ſupplend. negl. Præl.* 5. 10. 243
Dilectus, *de reſcript.* 26. 3. 77
Dilectus, *de reſcript.* 29. 3. 82
Dilectus filius, *de temp. ordin.* 14. 11. 262
Dilectus, *de fil. presbit.* 17. 17. 302
Dilectus, *de ſerv. non ord.* 8. 18. 315.
Dilectus, *de offic. Leg.* 6. 30. 421
Dilectus, *de offic. judic. ord.* 18. 31. 457
Dilectus, *de procur.* 11. 38. 531
Dudum, *de elect. & elect. poteſt.* 22. 6. 170
Dudum, *de elect. & elect. poteſt.* 54. 6. 204
Duo ſimul, *de offic. jud. ord.* 9. 31. 440

E

EAm te, *de reſcript.* 7. 3. 57
Eam te, *de ætat. & qualit.* 4. 14. 272
Ea quæ, *de offic. Archid.* 3. 23. 344
Eccleſia S. Mariæ, *de conſtitutionib.* 10. 2. 38
Eccleſia veſtra, *de elect. & elect. poteſt.* 48. 6. 200
Eccleſia veſtra, *de elect. & elect. poteſt.* 57. 6. 206
Edoceri, *de reſcript.* 21. 3. 73
Eo libentius, *de ſerv. non ordinand.* 6. 18. 314.
Eſi unanimiter, *de poſtulat. Prælat.* 6. 5. 124
Excommunicatis, *de offic. Legat.* 9. 30. 424
Ex inſinuatione, *de reſcript.* 37. 3. 90
Ex inſinuatione, *de procur.* 3. 38. 524
Ex inſtitutione, *de fil. presbyter.* 2. 17. 299
Ex litteris, *de conſtit.* 11. 2. 40
Ex litteris, *de conſuet.* 2. 4. 95
Ex litteris, *de offic. jud. deleg.* 29. 29. 404
Ex litteris, *de offic. jud.* 1. 32. 461
Ex litteris, *de tranſact.* 6. 36. 511
Ex litteris, *de in integrum reſtit.* 4. 41. 557
Ex parte, *de conſtit.* 12. 2. 42
Ex parte, *de reſcript.* 2. 3. 47
Ex parte, *de reſcript.* 33. 3. 86
Ex parte, *de reſcript.* 12. 3. 64
Ex parte, *de conſuet.* 10. 4. 113
Ex parte, *de temp. ordin.* 10. 11. 257
Ex parte, *de ſcrutin.* 1. 12. 267
Ex parte, *de corp. vitiat.* 3. 20. 323
Ex parte, *de corp. vitiat.* 5. 20. 324
Ex parte, *de offic. vicar.* 6. 28. 366
Ex parte, *de offic. jud. deleg.* 12. 29. 383
Ex parte, *de offic. judic. deleg.* 13. 29. 384
Ex parte, *de offic. jud. ordinar.* 5. 31. 434
Ex parte, *de tranſact.* 11. 36. 514
Ex parte, *de poſtul.* 2. 37. 516
Ex parte, *de alienat. jud. mut.* 2. 42. 568
Ex parte, *de arbitr.* 10. 43. 591
Expoſita, *de arbitr.* 11. 43. ibid.
Ex quorumdam, *de alien. judic. mut.* 1. 42. 568
Ex ratione, *de ætat. & qualit.* 2. 14. 272
Ex tenore, *de reſcript.* 16. 3. 62
Ex tranſmiſſa, *de renunc.* 3. 9. 228
Ex tranſmiſſa, *de fil. presbyt.* 7. 17. 300
Ex tua, *de fil. presbyt.* 9. 17. 301
Ex tuarum, *de auctor. & uſu pall.* 5. 8. 224
Ex tuarum, *de temp. ordin.* 4. 11. 249

F

FIrmiter, *de ſumma Trinit.* 1. 1. 16

G

GRatum, *de poſtul. Præl.* 2. 5. 121
Gratum, *de offic. jud. deleg.* 20. 29. 388
Grave, *de offic. jud. ord.* 19. 31. 458

H

HIs quibus, *de elect. & elect. poteſt.* 60. 6. 209
His quibus, *de offic. judic. ordin.* 20. 31. 460
His quæ, *de major. & obed.* 11. 33. 475
Humilis, *de major. & obed.* 17. 33. 481

I

ILla quotidiana, *de elect. & elect. poteſt.* 39. 6. 189
Illud Dominus; *de major. & obed.* 5. 33. 469
In cauſis, *de elect. & elect. poteſt.* 30. 6. 178
Indecorum, *de ætat. & qualit.* 3. 14. 272
In noſtra, *de procurat.* 4. 38. 524
In Geneſi, *de elect. & electi poteſt.* 55. 6. 205
In litteris, *de offic. jud. del.* 9. 29. 381
In noſtra, *de reſcript.* 32. 3. 86
Innotuit, *de elect. & electi poteſt.* 20. 6. 165
Innotuit, *de arbitr.* 12. 43. 592
Innovamus, *de treg. & pac.* 2. 34. 488
In præſentia, *de renunc.* 6. 9. 232
Inſinuante, *de offic. jud. del.* 25. 29. 396
Inſtruendi, *de ſerv. non ordinand.* 1. 18. 306
Intelleximus, *de ætat. & qualit.* 12. 14. 282
Inter cetera, *de reſcript.* 4. 3. 51
Inter cetera, *de offic. jud. ordin.* 15. 31. 452
Inter corporalia, *de translat. Epiſc.* 2. 7. 213
Inter quatuor, *de cler. peregrin.* 2. 22. 336
Inter quatuor, *de majorit. & obed.* 8. 33. 473
Irrefragabili, *de offic. jud. ord.* 13. 31. 448.
Item placuit, *de arb.* 1. 43. 572.
Judicis, *de offic. jud.* 2. 32. 463

L

LEctæ, *de renunt.* 14. 9. 239
Legebatur, *de major. & obed.* 3. 33. 467
Licet *de elect. & electi poteſt.* 6. 6. 137
Licet in tantum, *de transl. Epiſc.* 4. 7. 217
Licet dilecti, *de ſuppl. negl. Prælat.* 3. 10. 242
Licet, *de offic. jud. deleg.* 30. 29. 405
Licet, *de offic. Leg.* 5. 30. 419
Licet, *de offic. jud. ord.* 12. 31. 444
Litteras tuas, *de renunt.* 1. 9. 225
Litteras veſtras, *de temp. ordinand.* 13. 11. 261
Litteras, *de fil. presbyt.* 14. 17. 302
Litteris, *de reſcript.* 39. 3. 91

M

MAgnus, *de oblig. & ratioc.* 1. 19. 318
Mandamus, *de offic. Archid.* 6. 23. 347
Mandato, *de procur.* 13. 38. 532
Mandatum, *de reſcript.* 38. 3. 91
Maſſana, *de elect. & elect. poteſt.* 56. 6. 206
Michael, *de fil. presbyt.* 13. 17. 302
Miniſterium, *de offic. Archiep.* 2. 24. 357
Miramur, *de ſerv. non ordinand.* 8. 18. 315

N

NAm concupiſcentam, *de conſtit.* 4. 2. 30
Nec Epiſcopus, *de temp. ordin.* 7. 11. 253
Neoinnitaris, *de conſtit.* 5. 2. 31
Nemini, *de offic. Leg.* 10. 30. 425
Ne pro defectu, *de elect. & elect. poteſt.* 41. 6. 193
Nihil eſt, *de elect. poteſt.* 44. 6. 198
Nimis in tua, *de fil. presbyter.* 18. 17. 305
Niſi cum pridem, *de renunt.* 10. 9. 234
Niſi ſpecialis, *de auct. & uſu pal.* 3. 8. 222
Niſi ſpecialis, *de offic. Leg.* 3. 30. 418
Non injuſte, *de procur.* 14. 38. 534
Nonnulli, *de reſcript.* 28. 3. 79
Non ſine, *de arbitr.* 2. 43. 577
Noſti, *de elect. & elect. poteſt.* 4. 6. 147
Novit ille, *de off. Leg.* 7. 30. 423
Nullus, *de elect. & elect. poteſt.* 1. 6. 115
Nullus clericus, *de ſerv. non ordin.* 4. 18. 313
Nuper a nobis, *de bigam. non ordin.* 4. 12. 331

O

OFficii, *de elect. & elect. poteſt.* 38. 6. 189
Officium, *de off. Archid.* 2. 23. 344
Offi-

Officium, *de offic. Archipr.* 3. 24. 358
Omnes Principes, *de major. & obed.* 4. 33. 468
Olim, *de reſcript.* 25. 3. 76
Oſius, *de elect. & elect. poteſt.* 2. 6. 126

P

PActiones, *de pact.* 8. 35. 500
Paſtoralis, *de reſcript.* 14. 3. 67
Paſtoralis, *de Sacram. non iter.* 1. 16. 293
Paſtoralis, *de off. judic. deleg.* 28. 29. 400
Paſtoralis, *de off. jud. ord.* 11. 31. 443
Per inquiſitionem, *de elect. & elect. poteſt.* 26. 6. 175
Per litteras, *de ſuppl. negl. Prælat.* 4. 10. 242
Perniciosa, *de offic. jud. ord.* 1. 31. 426
Per tuas, *de major. & obed.* 7. 33. 472
Per tuas, *de arbitr.* 9. 43. 596
Pervenit, *de arbitr.* 3. 43. 581
P. & G. *de offic. jud. deleg.* 40. 29. 412
Petitio, *de procur.* 9. 38. 530
Plerique, *de pact.* 7. 35. 499
Plerumque, *de reſcript.* 23. 3. 74
Poſtquam, *de elect. & elect. poteſt.* 3. 6. 129
Poſt translationem, *de renunt.* 11. 9. 336
Poſtulaſti, *de reſcript.* 27. 3. 79
Poſtulationem, *de poſtul. Prælat.* 5. 5. 124
Præſentium, *de fil. presbyt.* 3. 17. 299
Præterea, *de ætat. & qualit.* 5. 14. 272
Præterea, *de offic. jud. deleg.* 5. 19. 378
Præterea, *de tranſ.* 9. 36. 512
Præterea, *de tranſ.* 10. 36. ibid.
Presbyter, *de Sacram. non iter.* 3. 16. 294
Propoſuit, *de fil. presbyt.* 6. 17. 300
Prudentiam, *de offic. jud. deleg.* 21. 29. 391
Publicato ſcrutinio, *de elect. & elect. poteſt.* 58. 6. 208

Q

QUæ in Eccleſiarum, *de conſtit.* 7. 2. 33
Quærenti, *de off. jud. deleg.* 26. 29. 397
Quæris a nobis, *de ætat. & qualitat.* 6. 14. 274
Quæſitum eſt, *de temp. ord.* 17. 11. 266
Qualiter, *de elect. & elect. poteſt.* 17. 6. 160
Qualiter, *de pact.* 3. 35. 496
Quamvis multa, *de ætat. & qual.* 15. 14. 284
Quamvis, *de off. jud. deleg.* 6. 29. 378
Quanto, *de conſuet.* 4. 4. 101
Quanto perſona, *de translat. Epiſc.* 3. 7. 214
Quanto, *de off. jud. ord.* 7. 31. 435
Querelam, *de elect. & elect. poteſt.* 24. 6. 172
Querelam, *de procur.* 2. 38. 522
Quia, *de elect. & elect. poteſt.* 5. 6. 136
Quiſquis, *de elect. & elect. poteſt.* 43. 6. 196
Quia circa, *de bigam. non ordinand.* 6. 21. 334
Quia nonnulli, *de reſcript.* 43. 3. 92
Quia propter, *de elect. & elect. poteſt.* 42. 6. 195
Quia quæſitum, *de off. jud. deleg.* 1. 29. 366
Quia in cauſis, *de procur.* 7. 38. 529
Quidam, *de renunt.* 12. 9. 237
Quoad translationem, *de temp. ord.* 11. 11. 258
Quod de his, *de bigam. non ordin.* 3. 21. 330
Quod in dubiis, *de renunt.* 8. 9. 233
Quod Sedem, *de off. jud. ord.* 10. 31. 443
Quod ſicut, *de elect. & elect. poteſt.* 28. 6. 177
Quo ſuper, *de major. & obed.* 9. 33. 473
Quod translationem, *de offic. Leg.* 4. 30. 418
Quoniam, *de conſtitut.* 13. 2. 43
Quoniam, *de fil. presbyt.* 10. 17. 301
Quoniam, *de off. jud. delegat.* 14. 29. 384
Quoniam, *de off. jud. delegat.* 45. 29. 414
Quoniam, *de offic. jud. ord.* 14. 31. 449
Quotiens, *de pact.* 2. 35. 494

R

RElatum, *de off. jud. deleg.* 19. 29. 388
Relatum, *de his, que vi, met.* 1. 40. 537
Requiſivit, *de ord. ab Epiſc.* 1. 13. 268
Requiſivit, *de in integr. reſt.* 1. 41. 551
Rodulphus, *de reſcript.* 35. 3. 88
Rogatus, *de off. jud. del.* 37. 29. 410

S

SAcris, *de his, quæ vi, met. cauſ.* 5. 40. 544
Sacroſancta, *de elect. & elect. poteſt.* 51. 6. 201

Sane, *de renunt.* 7. 9. 232
Sane ſuper, *de temp. ord.* 2. 11. 246
Sane ſi, *de off. judic. deleg.* 2. 29. 371
Sane quia, *de offic. jud. deleg.* 11. 29. 382
Sciſcitatus, *de reſcript.* 13. 3. 64
Scriptum eſt, *de elect. & electi poteſt.* 40. 6. 190
Sedes Apoſtolica, *de reſcript.* 15. 3. 67
Si alicujus, *de elect. & elect. poteſt.* 59. 6. 280
Si Archiepiſcopus, *de temp. ord.* 6. 11. 253
Si autem, *de reſcript.* 9. 3. 62
Sicut grave, *de tranſact.* 1. 36. 505
Sicut nobis, *de ſuppl. negl. Prælat.* 2. 10. 241
Sicut Romana, *de reſcript.* 1. 3. 44
Sicut ſtudii, *de ſyndic.* 1. 39. 535
Significante, *de reſcript.* 34. 3. 88
Significantibus, *de offic. jud. del.* 38. 29. 411
Significaſti, *de elect. & electi poteſt.* 4. 6. 131
Significaſti, *de off. Archid.* 8. 23. 348
Significaſti, *de offic. jud. deleg.* 7. 29. 379
Significavit, *de reſcript.* 36. 3. 88
Significavit, *de corp. vitiat.* 4. 20. 323
Significavit, *de offic. jud. ord.* 6. 31. 435
Si pro debilitate, *de offic. jud. del.* 3. 29. 372
Si proponente, *de reſcript.* 42. 3. 92
Si quando, *de reſcript.* 5. 3. 54
Si quando, *de off. jud. deleg.* 8. 29. 381
Si quis, *de major. & obed.* 2. 33. 467
Si Sacerdos, *de offic. jud. ord.* 2. 31. 429
Solitæ, *de major. & obed.* 6. 33. 469
Statuimus, *de ſuppl. negl. Prælat.* 1. 10. 240
Statuimus, *de major. & obed.* 15. 33. 478
Statuimus, *de tranſact.* 2. 36. 508
Studuiſti, *de off. Leg.* 2. 30. 417
Sua nobis, *de off. vicar.* 5. 28. 365
Subdiaconos, *de temp. ord.* 1. 11. 246
Suffraganeis, *de elect. & electi poteſt.* 11. 6. 150
Super eo, *de elect. & elect. poteſt.* 12. 6. 151
Super eo, *de bigam. non ordinand.* 2. 21. 330
Super eo, *de offic. judic. del.* 15. 29. 386
Super eo, *de tranſact.* 7. 36. 511
Super eo, *de his, quæ vi, met. cauſ.* 7. 40. 549
Super hoc, *de renunt.* 5. 9. 232
Super litteris, *de reſcript.* 20. 3. 70
Super quæſtionum, *de off. jud. del.* 27. 29. 397
Suſcitata, *de in integr. reſt.* 6. 41. 558
Suſpicionis, *de offic. jud. deleg.* 39. 29. 412

T

TE nobis, *de cler. peregr.* 4. 22. 340
Translato, *de conſtit.* 3. 2. 252
Tranſmiſſam, *de elect. & elect. poteſt.* 15. 6. 156
Tregua, *de tregu. & pac.* 1. 34. 484
Tuæ fraternitatis, *de cler. peregr.* 3. 22. 337
Tuæ fraternitatis, *de procur.* 5. 38. 525
Tuam in Domino, *de ætat. & qualit.* 10. 14. 280
Tua nos, *de auctorit. & uſu pall.* 7. 8. 225
Tua nos, *de cler. peregr.* 1. 22. 335
Tum ex litteris, *de in integr. reſt.* 5. 41. 557

V

VEl non eſt, *de tempor. ord.* 15. 11. 264
Venerabilem f. n. *de elect. & elect. poteſt* 34. 6. 183
Veniens, *de renunt.* 13. 9. 238
Veniens, *de fil. presbyt.* 5. 17. 299
Veniens, *de offic. vicar.* 2. 28. 363
Veniens, *de tranſ.* 8. 36. 512
Uno delegatorum, *de off. jud. deleg.* 42. 29. 414
Volentes, *de offic. Leg.* 8. 30. 424
Ut Abbates, *dæ ætat. & qual.* 1. 14. 271
Ut Archidiaconus, *de offic. Archid.* 1. 23. 342
Ut Archipresbyter, *de offic. Archipr.* 1. 24. 356
Ut bigami, *de bigam. non ord.* 1. 21. 327
Ut canonum, *de conſtit.* 1. 2. 19
Ut filii, *de fil. presbyt.* 1. 17. 296
Ut juxta, *de offic. jud. ord.* 17. 31. 456
Ut noſtrum, *de off. Archid.* 9. 23. 350
Ut præteritæ, *de elect. & elect. poteſt.* 45. 6. 198
Ut Primicerius, *de off. Primic.* 1. 25. 359
Ut ſciat, *de offic. ſacriſt.* 1. 26. 360
Ut ſingulæ, *de offic. Archipr.* 4. 24. 358

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

CONcediamo Licenza a Niccolò Pezzana di poter riſtampare il Libro intitolato *D. D. Emanuelis Gonzalez &c. Commentaria perpetua in ſingulos textus Decretalium Gregorii IX. &c. Tomi quinque*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li primo Marzo 1766.

{ *Angelo Contarini Proc. Rif.*

{ *Andrea Tron Kav. Rif.*

{ *Girolamo Grimani Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 269. al Num. 1675.

David Marcheſini Segr.

D.D. EMA-

D. D. EMANUELIS GONZALEZ TELLEZ COMMENTARIA
In Librum Primum Decretalium GREGORII IX.

APPARATUS
In quo de origine & progreſſu Juris Canonici agitur.

1 Juris etymon.

QUoniam de Jure Pontificio in hoc Opere agere ſtatui, ideo neceſſarium cenſui ipſius originem, & progreſſum repetere. Si enim in foro cauſas dicentibus nefas eſſe videtur, nulla præfatione habita Judici rem exponere; quanto magis Jus interpretantibus inconveniens erit, omiſſis initiis, & origine non repetita, protinus materiam interpretationis aggredi? Namque, ni fallor, Apparatus iſte & libentius ad lectionem propoſiti Operis perducet, & cum eo venerimus, evidentiorem præſtabit intellectum, ut ſimili exordio ajebat Gajus in *l. 1. ff. de orig. juris*; & ut inde exordiamur, unde initium fecit Domitius Ulpianus, & ab eo Compoſitores pandectarum *in l. 1. de juſt. & jur.* ibi: *Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde Juris nomen deſcendat*, & quid ſit jus, quem morem Jureconſulti retinuerunt in pleriſque Tractatibus. Jus ergo, ut ſignificat juſtum, quod a recto non deviat, vel objectum eſt juſtitiæ, vel ipſius juſtitiæ quaſi idea: in hoc ſenſu non definitur a Conſultis, nec per alluſionem derivatur, ut agnovit ſapientiſſimus Pat. Ludov. Mol. de *juſt. & jur. tr. 1. diſp. 2.* & licet aliis terminis, eodem plane ſenſu cultiſſimus Salmantic. noſt. Oroſius *in d. l. 1. n. 4.* aliique. Itaque de Jure in hoc ſenſu accepto noſter ſermo non eſt. Ergo Jus accipitur pro arte, ſeu quadam completiſſima collectione præceptorum, ex naturalibus præceptis gentium, aut civilibus ut Juſtian. dixit in *fine tit. Inſt. de juſt. & jure*; ut cum dicimus Jus Romanorum, ſignificamus omnia præcepta rectæ & providæ gubernationis & adminiſtrationis juſtitiæ, quæ in corpus, ſive in libros Juris Romani redacta fuerunt: ſimiliter Jus Pontificium omnes Canones Eccleſiaſtici regiminis, qui a Summis Eccleſiæ Præſulibus ſtatuti fuerunt: vel cum dicimus Jus in communi, ſignificamus quidquid in communi pro Jure obſervatur; cui arti addiſcendæ totis viribus incumbimus, & incubamus. In hoc ergo ſenſu Jus a juſtitia derivatur, ut docent I. Dartis in *diſſ. de jure nat. ad fin.* Fortunius Garcia, Petr. Velleſus de Guevara, & Marius Salomonius in *d. l. in princ.* melius quam Anton. Faber *in ejus textu rationali*, & *in princ. Jurip. Papin.* Jus itaque in hac acceptione eſt medium, per quod intendimus conſequi juſtitiam: diſcimus enim ſuum cuique tribuere per artem Juris, ut paſſim profitentur Plato & Cicero *in l. de leg.* Sed in intentione prior eſt finis, quam media, quia finis appetitur propter ſeipſum, media autem propter finem, juxta Philoſophi doctrinam, quam tradit D. Th. *1. p. q. 5. ar. 6.* & ſæpe Collegium Salmant. Carmel. *in 1. 2. q. 1. a princip.* Tapia *1. 1. Cat. Mor. l. 1. q. 4 ar. 2.* Ergo intentione prior eſt juſtitia quam Jus. Deinde juſtitia eſt voluntas, quæ eſt potentia animæ; ex potentia animæ naſcitur ſapientia, quæ docet Juris artem, quia prius eſt poſſe, quam ſapere: ergo etiam ex hac parte prior eſt juſtitia, quam Jus, prout ſumitur pro arte. Item Jus eſt juſtitiæ executio, & ſic prius eſt illud, quod exequendum eſt, quam id quo exequitur illud. Cujacius *in d. l. 1.* & Oroſius *n. 4.* Cum igitur Stoici inſpexerint ad deductiones nominum & prioritates rerum, non ad nominum ſyllabas, quod faciunt Grammatici, ut poſt alios docet Greg. Lopez Madera *lib. ſingul. ad mand. c. 1.* Bronchorſt. *cent. 1. aſſert. 1.* conſequens eſt, ut Jus pruot eſt ars boni & æqui, a juſtitia derivetur, non e contra ut deduxit D. Iſidor. *in c. Forui, de verbo ſignif.* Cum enim Jus, ſeu Juris nomen ſignificet artem juſtitiæ, & ars ſit poſterior ſuo objecto, ſequitur artem, utpote poſteriorem juſtitia, ab ea deſcendere. Quod confirmatur ex Cicer. *5. de finib.* qui artem dicit deſcendere a re, cujus eſt ars. *Carneades*, ait, *negabat ullam eſſe artem, quæ ipſa a ſe proficiſceretur: eſt enim perſpicuum, nullam artem in ſe verſari, ſed eſſe aliud artem ipſam, aliud quod propoſitum ſit arti.* Et Quintil. *l. 3. c. 17.* inquit: *Illud admonere Juris eſt, omnia quæ ars conſummaverit, a natura initium ſumpſiſſe.* Et c. 19. ſic loquitur: *Nihil ars ſine materia: materia ſine arte pretium eſt.* Nam quod ajunt dici, jus ex juſtitiæ fontibus emanare, ex Scipione apud Tullium 3. *de Repub.* ex Div. Aug. *l. 5. de Civit. Dei*, puto ibi Jus non ſumi pro arte boni & æqui, ſed modo ſupradicto. Neque etiam facit ad rem, quod aſſerit, pactum a pactione dici; donum a donatione, *in l. Senatus, ff. de moris cauſſa donat.* Quia donum non eſt ars donandi, nec pactum ars paciſcendi. Et hæc de alluſione dixiſſe ſufficiat, de qua videndi ſunt laudati ab Oſualdo *ad Donellium l. 1. comment. c. 4.* & communiter Repetentes *ad princip. Inſtit. de juſt. & jur.* noviſſime Gibal. *t. 1. Scient. Canon. l. 3. c. 1.*

2 De lege æterna.

De juris origine acturo, ut pollicemur, primo, ut par eſt, occurrit jus æternum, quod lex æterna frequentius appellatur, quæ eſt radix, & origo omnium aliarum legum: & ipſa talis eſt per eſſentiam, ceteræ omnes tales ſunt per participationem illius, de qua IC. vix, aut parum curarunt; ſed de ea ex profeſſo egit Angel. Præceptor 1. 2. q. 93. *per tot.* ubi omnes Interpretes. Sot. *de juſt. l. 1. q. 3. per tot.* Suar. *l. 2. de legib. c. 1.* Tapia, aliis relatis, *to. 1. Caten. Mor. l. 4. q. 3. art. 1.* De ea loquens D. Aug. *l. de lib. arb. c. 6. circa med.* docet eſſe ſummam rationem in Deo exiſtentem, cui ſemper obtemperandum eſt: quod teſtimonium exponens D. Th. *art. 1.* confiderat Deum per ſuam ſapientiam conditorem eſſe univerſarum rerum, ad eaſque comparari, ſicut comparatur artifex ad artificiata. Conſiderat etiam eſſe omnium gubernatorem, idcſt omnium actuum, & motionum, quæ inveniuntur in creaturis.

turis. Unde concludit rationem divinam in ordine ad creationem habere rationem artis exemplaris, vel idæ; sed in ordine ad gubernationem habere rationem legis, per quam omnia movet ad debitum finem: nam in quocumque gubernatore requiritur regula practica gubernationis, quæ est lex. Deus est supremus, & æternus gubernator, juxta illud Boetii 3. *de cons. O qui perpetuo mundum ratione gubernas*. Ergo in Deo est lex æterna, tamquam regula practica, quæ est directiva omnium actuum, & motionum creaturarum. Est vero una sola, & simplicissima, ut docet ibi D. Th. *ad* 1. quamvis diversas motiones, & diversos actus dirigat: quia quæ sunt diversa inter se, confiderantur ut unum, secundum quod ordinantur ad aliquid cunctis commune: sed cuncta creata aguntur, vel moventur ad ultimum finem, quod intendit lex æterna, videl. quod omnia sint ordinatissima, ut ii SS. PP. deducunt ex illo *Prov. c.* 8. *Ab æterno ordinata sum*, ideo brevi volumine simplicissimum, & divinissimum hoc jus omnibus se insinuat creaturis. Est hæc lex immutabilis, & invariabilis, nullique derogationi subjecta: quo etiam sensu æterna dicitur, quia in futurum sæculum non desinet, ut dicitur *eod. c.* 8. *Prov.* Sicut in naturalibus primus motor immobilis est, & est causa motuum sub se longe differentium: ita lex æterna est immutabilis, quamvis omnes leges humanæ positivæ, quæ per rationis participationem ab ea derivantur, mutationi, & variationi obnoxiæ sint. Ita comparat Sot. *d. q.* 3. *ar.* 3. Fit etiam inde, ut notio æternæ legis omnibus impressa sit, ex D. Aug. *eod. cap. non procul a fine*. Cum enim sit veritas ipsa incommutabilis, in mente divina existens; veritatem autem cognoscant aliqualiter, ad minus quantum ad communia præcepta juris naturalis: consequens est, ut omnibus aliqualiter sit nota, aliis plus, aliis vero minus, ex creaturis rationalibus, quæ sunt hujus cognitionis capaces, prout majori pollent acumine intellectus, aut scientiis sunt expolitæ: vel forsan apud nonnullos igniculi isti prorsus extincti sunt, propter obscuritatem intellectus, causatam ex assidua consuetudine peccandi, & deviandi a recto, quod a vitiis hominum provenit potius, quam a vitio humanæ naturæ. Nemo tamen nec in sese, nec in effectibus comprehendere potest legem æternam, cum sit ratio in mente divina existens, æque ac ipse Deus, incomprehensibilis; & ideo ut omnibus nota dicatur, non requiritur, ut quicumque cognoscit legem æternam, cognoscat pariter totum ordinem rerum, juxta quem omnia sunt ordinatissima; sed sufficit adipisci aliqualem cognitionem veritatis eo modo, quo nuper dixi. Ita ex Divo Thoma *art.* 2. *q.* 93.

3 Expunditur quædam difficultas.

Sed huic doctrinæ objici potest, quod lex esse non potest, nisi sit aliquis, cui imponatur. Est enim lex actus imperii: at repugnat esse imperium, nisi sit aliquis, cui imperetur; ab æterno autem non fuit aliquis capax legis, cum fuerit solus Deus: ergo ab æterno non potuit esse lex, sicut neque imperium. Sed respondetur, duplicem esse legis statum; alius est, quem habet in æterna dispositione legislatoris, quatenus in mente ejus absoluto ejus decreto stabilita est; alius vero est legis status, quem habet exterius constituta & subditis proposita. Priori modo certum est dici in eo statu legem æternam; posteriori vero modo certum est hanc legem hunc statum non habuisse ab æterno; unde recte dicitur, legem, & imperium esse ab æterno in Deo, juxta priorem sensum, non vero juxta posteriorem. Et si adhuc instes, de ratione legis esse ejus promulgationem, ut dicemus *in c.* 1. *de postul. Prælat.* & ab æterno non potuisse dari promulgationem, cum non esset, cui promulgaretur. Resp. omissis variis solutionibus, quas congerit Suar. *de legib. l.* 2. *c.* 1. promulgationem actu factam subditis non esse de ratione legis æternæ; nam censetur consummata, & perfecta eo ipso, quod in mente legislatoris stabilita est. Aliæ vero leges non consummantur, donec promulgentur. Ratio est; nam decretum Dei æternum immutabile est; secus autem decretum hominis. Unde quamdiu non promulgatur, solum habetur per modum legis ferendæ.

4 Lex æterna comprehendit omnes creaturas.

Lex æterna comprehendit, & extenditur ad omnes creaturas; tam rationales, quam irrationales, & ad eas, quæ sensus expertes sunt, ut docet idem Angel. Magister. *art.* 5. *sub eod. qu.* & probat ex *eod. cap.* 8. *Proverb.* hanc sententiam illis verbis: *Quando circumdabat mari terminum suum*, & LEGEM *ponebat aquis, ne transirent fines suos*. Et *ex* Psal. 148. *Præceptum posuit, & non præteribit*. Non tamen eodem modo comprehendit cæteras creaturas ac homines. Disponit enim actus hominum, & Angelorum per regulas, quibus ipsimet se moveant ad finem, quem intendunt, & debent intendere. Reliquæ vero creaturæ moventur per virtutes, & instinctus impressos ipsis ex æterna providentia legis, ut ad finem debitum agantur; quia creaturæ rationales a semetipsis moventur, & ipsæ agunt per cognitionem finis; expertes vero sensus, & rationis non habent hanc cognitionem, sed ab alio impulsæ moventur. Itaque Deus non tantum imprimit hominibus regulam directam rationis, qua ad finem moventur, sed etiam omnibus creaturis suos instinctus, & stimulos, quibus, & per quos in suos agantur fines. Sot. *art.* 4. Et hæc est potissima differentia inter hanc legem Dei, & inter legem hominis, quod lex hominis dirigit per viam præcepti actus humanos subditorum: quare aliis ferri, aut imponi non potest, quam illis qui præcepti & obedientiæ capaces sunt; insipide enim brutis, aut ceteris rebus directe imponeretur. Lex vero æterna & regulam dat, & imprimit: sub hac tamen distinctione, quod homines ligat per modum præcepti, cujus capaces sunt; ceteras vero creaturas per modum simplicis obedientiæ, & naturalis propensionis, inclinationisque ad finem. Ex quo Dom. Tap. *d. q.* 2. *art.* 1. *n.* 8. docuit legem hanc æternam proprie ita appellari respectu rationalium, respectu vero ceterarum creaturarum improprie, in illis formaliter, in istis materialiter, quod ad inferius dicenda utilissimum erit.

5 Ceteræ leges ab hac derivantur.

Ab hac lege æterna in mente divina ab æterno existenti ceteræ leges, cetera jura, naturalia, positiva, divina, humanaque derivantur, cum non sit lata, sed ferens; non tam impressa, quam imprimens; & in summa, fons, & origo legum ceterarum. Sot. *d. q.* 3. *ar.* 1. Hoc expresse docuit etiam D. August. *l.* 1. *de l. arbit. c.* 5. *& 6. In temporali*, inquit, *lege nihil est justum, quod non ex lege æterna homines sibi derivaverint*. Idem Angel. Præceptor *art.* 3. docet in omnibus moventibus bene ordinatis oportere, quod virtus secundi moventis derivetur a virtute primi: sicut in omnibus gubernantibus ratio gubernationis omnium a primo sumitur, veluti in Regno potestas, & ratio gubernandi, quæ apud Ministros residet, derivatur a Rege, vel ab eo quod summum est in Republica. Sed lex æterna est regula, & ratio gubernandi in summo Deo, qui est omnium gubernatorum summus, primus, supremus. Ergo omnes leges, in quantum participant de ratione, & justæ sunt ab hac prima regula debent derivari. Quod probat Div. Thom. ex *eod. c* 8. *Proverb.* ibi: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Dixi esse legem æternam primam regulam practicam omnium actuum, & motionum: proxima vero est dictamen nostræ rationis practicæ, secundum quod, qui participes sunt rationis, participant ut regulam præceptumque legem æternam; nam hominibus per rationis dictamen intimatur, ut docent doctissimi, & religiosissimi PP. Excalceati de Monte Carmelo, Collegii Salmantic. *to.* 3. *sui Cursus Theologici, tr.* 11. *disp.* 1. *dub.* 5. *&* §. 1. *pag. mihi* 433. Prado *to.* 1. *Theol. Mor. c.* 3. *q.* 3. §. 2. Non est opus Jurisperiti, & forte excedit terminos nostræ artis investigare de promulgatione legis æternæ, aut quomodo promulgetur; sufficit enim scire, scribi in cordibus nostris, & in omnibus creaturis vim ejus imprimi, juxta illud Jerem. Prophetæ c. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Quam promulgationem ita animose extulit Septimius Florens Tertull. *in lib. de Corona Militis*, ibi: *Lex communis in publico mundi, & in naturalibus tabulis scripta*. Quæ concise dixisse de lege æterna ex SS. PP. Theologis, & veritate catholica satis fit. Videamus modo, quatenus gentes ejus vim agnoverint per rationem naturalem, sine ullo fidei lumine. Cicero non minus eloquentia, quam sæculi sapientia clarus *l.* 2. *de leg.* ita, ni fallor, de lege æterna agens, nobis scriptum reliquit: *Hanc video sapientissimorum hominum esse sententiam*, LEGEM *nec hominum ingeniis excogitatam, nec scitum esse aliquod populorum, sed* ÆTERNUM QUIDDAM, *quod universum mundum regeret* IMPERANDI, PROHIBENDIQUE SAPIENTIA. *Ita principem legem illam, & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione agi aut cogentis, aut vetantis Dei. Ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata*. Ecce ab illo æterno, quod universum mundum regit sapientia imperandi, prohibendique, derivavit legem, quæ data est soli generi humano per viam præcepti, quæ est jus, sive lex naturalis: sed non potest idem esse derivatum, & id a quo derivatur. Ergo præter legem naturalem, agnovit simpliciorem, & universaliorem aliam Cicero, quæ est æterna.

6 De lege æterna quid genuinum.

Sed cum sapientissimorum virorum testimonia advocet Orator & Philosophus, aperiemus expressius, qui fuerint illi, qui pridem ita senserunt. Diogenes Laertius *l.* 7. *de vitis Philosophorum, in principio*, sive *in Zenone Citico*, in eamdem sententiam, laudat hos omnes, quorum hodie scriptis non fruimur. Zenonem primo, sive Eleatem, *in l. de natura hominis*: Possidenium & Hecatonem *in l.* 6. *de finibus*: Chrysippum etiam *l.* 1. *de finib.* his verbis: *Idcirco finis dicitur consentanee secundum naturam vivere: secundum suam ac universam naturam, nihil eorum faciendo, quæ a communi lege prohibentur, quæ est* RECTA RATIO IN OMNES *pervadens*. *Eademque* IN JOVE HOC PRINCIPE GUBERNATIONIS OMNIUM QUÆ SUNT. Nota existimasse ex ratione gubernationis existente in Deo, fieri ut consentanee vivamus ad naturam, & ad finem moveamur. Quod etiam aliis verbis, sed non alio sensu expressit Sapientiss. Stoicorum Sen. epist. 66. *Una inducitur*, inquit, *humanis virtutibus regula. Una enim est ratio recta, simplexque. Nihil est divino divinius, cælesti cælestius: mortalia eminent, cadunt, deterentur, crescunt, exhauriuntur, implentur. Itaque in illis tam diversa sorte inæqualitas est. Divinorum una est natura. Ratio autem nihil aliud est, quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa. Si ratio divina est, nullum autem bonum sine ratione est, bonum omne divinum est*. Ecce rationem divinam assignat tamquam regulam practicam virtutibus; quod proprie de lege æterna dicitur, per quam tendimus ad consecutionem boni, sive ultimi finis; hanc non variabilem, non defectibilem appellat, quamvis mutentur humana, quæ dirigit. Dicitque hanc rationem unam, simplicemque esse: quæ omnes sunt notæ legis æternæ. Nec minus diserte allusit Manilius *l.* 1. *Astronom.*

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diversa tendere, forma,
Aetis, atque igni, terræ, pelagique vacantes;
VIS ANIMÆ DIVINA REGIT, *sacroque meatu*
CONSPIRAT DEUS, ET TACITA RATIONE GUBERNAT.

Possem hic alia similia testimonia adnectere, quæ adducit egregius Virgilii explicator & illustrator Ludovicus de la Zerda *ad l.* 6. *Æneidos, vers.* 7. *n.* 7. ad illum: *Totamque infusa per artus mens agitat molem, & magno se corpore miscet*. Sed abstineo, locum indicasse contentus, quem morem semper teneho.

Etiam

7 Leviter expunitur lex 2. de legib.

Etiam in nostro Jure Civili aliqua, etsi levis, & fere extincta scintilla de lege æterna lucet; refert enim Marcianus *in l.* 2. *de legib.* verba Demosthenis; in oratione contra Aristogitonem sic inquit: *Lex est, cui omnes obtemperare convenit*. Quod de æterna enuntiavit D. Ang. in definitione supra, *n.* 2. relata. Reddunt rationem Orator, Consultus, tum ob alia multa, tam etiam, *quod omnis lex inventum ac munus Dei est*. Non possunt autem ceteræ leges humanæ appellari nec inventum, nec munus Dei, cum sint inventiones Principum, & scita populorum; nisi quatenus rationem, justitiam, bonamque gubernandi artem a lege æterna participant, ex qua omnes derivantur, ut dixi. Ergo, licet confuse, agnovit post Demosthenem Marcianus noster in Deo æternam hanc rationem, cui omnes debent obtemperare. Quod hinc Auctores nostri notant cum Historicis, Legislatores non paucos leges suas Diis acceptas tulisse, ut ad observantiam earum populos arctius devincirent, erudite dicitur, sed non ex mente Consulti, ut existimo. Vide post Tiraquel. quem laudat Gothofredus *in d. l.* 2. Osuald *l.* 1. *ad Donel. c.* 6. Lypsi. *l.* 1. *dissert.* 11.

8 De jure naturali.

Prima & proxima derivatio a lege æterna, est jus naturale, quod est ratio infita secundum naturam, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Sic illud videtur Cicero definisse *l.* 1. *de legib.* ex quo Aristot. *l.* 5. *Moralium ad Nicomachum, c.* 7. recte docuit, apud omnes gentes peræque eamdem vim habere; quia imperat, quæ hominum naturæ sunt conformia, secundum rationem, quæ nulli genti deficit. Alii etiam Philosophi idem sentiunt apud Laertium *l.* 7. *de vitiis Philosophorum, in Zenone Citico*, qui supra manet relatus. Nihil enim est secundum naturam, nisi quod honestum est a virtute proficiscitur. Ergo bonum facere, a vitioque abstinere tam secundum naturam est quam secundum rationem naturalem. Pulchre Sen. *ad suum Lucil. ep.* 66. *Est ergo a Deo tamquam natura Auctore impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practica actus humanos liberos ad bonum justumque dirigimus*. Quod innuit Regius Psaltes *Ps.* 4. ubi se ad Deum per interrogationem convertens, ita inquirit: *Quis ostendit nobis bona?* divinoque afflatus spititus, & Deo plenus, sic respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui*. Hoc signaculum est interna vis rationi insita ad discernendum, & operandum bonum, & ad pravum vitandum. Unde D. Paulus in ep. ad Rom. *c.* 1. ita intulit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*. Serenus Abbas apud Cassianum *collat.* 8. *c.* 23. *paulo post initium: Nam quia sit homini omnis scientia legis ab initio creationis infusa, hinc manifeste probatur, quod mandata legis absque littera lectione, ante legem, imo ante diluvium, omnes Sanctos observasse cognoscimus*. Quod multis exemplis a sacra Scriptura petitis confirmat, & illustrat. Addendi etiam D. Th. & Glofs. *ad d. c.* 2. *epist. ad Rom.* & cum aliis P. Alardus Gazæus *in notis ad locum Cassiani*.

9 Synderesis subservit operationi secundum rationem naturalem.

Huic signaculo luminique naturalis rationis subservit synderesis, quæ est virtus, vel mentis nostræ habitus, quo inducimur ad consequenda imperata per jus naturale, & ad fugienda, quæ ipsa prohibet. Uno verbo synderesis est velut incentivum igniculi, qui in nobis est, rationis naturalis, acquisitum ex frequentatione actuum, quibus assuescimus operari secundum rationem. Damasc. *l.* 4. *de fide, c.* 23. Hier. *ep.* 151. *ad Algasiam*: docent Expositores D. Th. 1. *p. q.* 79. Et de hac doctrina adeundi sunt eximius Pat. Franc. Suar. *l.* 2. *de legib. c.* 5. *&* 6. Illustr. Primarius noster, & Segobiensis Præsul D. Aravio *in* 1. 2. *to. qu.* 94. *disp.* 2. *sect.* 1. *diffic.* 1. *ex n.* 43. Sapientissimi Salmant. 3. *tomo sui Cursus Theologici tr.* 11. *disp.* 1. *dub.* 5. §. 1. Quare male nonnulli putarunt, jus naturale nihil aliud esse, quam ipsam rationem naturalem, ut fecerunt Albert. Bolom. de *jure & æquitate c.* 3. *n.* 29. Vasq. 1. 2. *disp.* 159. *cap.* 3. qui merito rejiciuntur ab omnibus, ut testatur Salas, pluribus relatis, *de legib. tr.* 14. *disp.* 5. *sect.* 1. *nu.* 2. Omissis enim variis opinionibus duo distinguenda sunt in natura rationali, unum est ipsa natura, quatenus est fundamentum convenientiæ, vel disconvenientiæ actionum humanarum ad ipsam naturam rationalem: aliud est virtus quædam ipsius naturæ, ad discernendum inter operationes convenientes, aut disconvenientes naturæ. Priori modo natura rationalis fundamentum est legis naturalis; posteriori vero modo est ipsa lex naturalis, quæ humanæ voluntati præcipit, vel prohibet, quod agendum est, ut docent D. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 1. *&* 2. *& in* 4. *dist.* 33. *q.* 1. *art.* 1. Abulensis *in c.* 19. *Matthæi, q.* 30. Sotus *l.* 1. *de just. q.* 4. *art.* 1. Firmatur hæc sententia ex verbis Apostoli *ad Rom. c.* 2. ubi cum dixisset, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi leges non habentes, ipsi sibi sunt lex*; statim ait: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Conscientia enim nihil aliud est, quam dictamen rationis naturalis in cordibus scriptam, vim legis naturalis habens, ut ex D. Basilio docuit D. Th. 1. 2. *qu.* 4. *art.* 1. *ad* 2. ubi legem naturalem vocat synderesim, idest dictamen rationis: & D. Hieron. *ubi sup.* appellat legem intelligentiæ. D. August. *l.* 2. *de serm. Dom. in monte*, D. Ambros. *lib.* 5. *ep.* 41. tandem Lactantius *l.* 6. *de vero fructu c.* 8. sic ait: *Est quidem vera lex recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna*.

10 De Deo auctore naturæ.

Deus etiam naturæ Auctor statim a principio singulis rebus suos dedit stimulos & instinctus, quibus in suos agerentur fines ex naturali inclinatione, ut supra admonui: quare cum dicitur, jus istud naturam omnia animalia docuisse, per naturam intelligunt aliqui Deum, more Stoicorum, apud quos natura dicitur Deus, teste Senec. *l.* 4. *de benef. c.* 7. his verbis: *Quid aliud est natura, quam Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta?* Et 1. *qq. natural. c.* 45. ait: *Vis Deum naturam vocare? non peccabis; est enim, ex quo nata sunt omnia*. Et declaravit. Lactant. *l.* 7. *c.* 3. *Stoici naturæ nomine res diversissimas comprehenderunt: Deum, & mundum; artificem, & opus: dicuntque alterum sine altero nihil posse, tamquam natura sit Deus mundo permissus*. Quod quidem hoc sensu accipiendum est, quatenus Deus est immediatum principium hujus juris, illudque omnibus animalibus instillavit, ut recte Oppianus *de venatione lib.* 3. ait:

Nimirum tantum liberorum, & recens editæ sobolis
Amorem in corde instillavit Deus, neque sane solis
Hominibus, qui cuncta ratione inveniunt,
Verum etiam reptilibus, & piscibus, atque etiam ipsis
Feris,

Nam ut recte Lactant. *l.* 3. *c.* 28. ait: *Quam vim potuit habere rerum materia, nullo dante? quam naturam, nullo generante? Si habuit vim, ab aliquo eam assumpsit: a quo autem assumere, nisi a Deo potuit?* Unde ipsi Stoici, qui non prorsus male de natura censuerunt, docebant apud Laertium *in Zenone Cinice*, in animalibus etiam brutis naturali quadam ratione, nempe a natura indita, disponi appetitionem boni, & fugam mali. Et Sen. *l.* 2. *de ira, c.* 16. in eamdem rem intentus dicebat, ad idem faciendum, quod secundum naturam est, brutis esse impetum pro ratione; hominibus vero pro impetu rationem esse. Distinctius vero Polyb. *l.* 6. *hist. in princ.* communionem hanc juris inter omnia animalia expressit. Egit prius de exemplo, quod a brutis sumunt homines in forma gubernationis sibi deligenda, & postea sic subdit: *Etenim quoniam mutuas conventiones cunctis secundum naturam appetunt, indeque prolis procreatio perficitur, ubi quisquam eorum, qui jam sunt educati, & adultam ætatem consecuti, nullam gratiam rependit, nec vices reddit illis, a quibus est nutritus; sed per contrarium male illis vel dicere, vel facere præsumit, manifestum est agit ferre hoc illos, atque offendi*. Ut & inferius: *Quoniam enim genus humanum hactenus reliquis præstantius est animantibus, quatenus ipsi soli concessum est, ut mentis ac rationis particeps existat, par non esse liquet, ut dictam hanc corruptionem perinde atque in ceteris animantibus, sustineque faciat*. Unde totus excursus exscribendus esset, sed nimis late excurrit. Ex eo constat nonnulla, quæ secundum naturam sunt, hominibus cum brutis esse communia, & ab istis ad homines argumentum sumi, vel exemplum: exempla præbent Plut. *in Camillo*. *Lex*, ait, *est natura, cujus & bestiæ sunt participes, ut imbecillior cedat ac pareat potentiori*. Quo pacto & Greg. Naz. *Apol.* 1. ait, *Legem esse natura, ut corpus animæ pareat, tamquam præstantiori*. Ita & Xiphil. *in Augusto*, inquit: *Blandiritis placari, & dolore perturbari esse naturale, quod & in bruta animalia cadat*. Ita & Demosth. *in Aristo.* 1. inquit: *Parentes colere est lex natura, & hominibus & bestiis posita*. Ita denique Cassiod. nit: *Et hominibus, & brutis ingeneratum est desiderium adulteria vindicandi*. Quare recte Sen. *l.* 9. *controv.* asserit: *Habet sua jura natura*. De quo jure Liban. *dictam.* 44. *Reverentur & fera naturam*. Sed comparationem expressius facit Angel. Præcept. 1. 2. *q.* 94. *ar.* 2. *in corp.* de hac ipsa re agens: *Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium est ordo præceptorum legis naturæ. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scil. quælibet substantia appetit conservationem sui esse, secundum naturam: & secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conservatur, & contrarium impeditur. Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia, in qua communicat cum ceteris animantibus; & secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali*, QUÆ NATURA OMNIA ANIMALIA DOCUIT, *ut est commistio maris & feminæ, & educatio liberorum, & similia. Tertio modo inest inclinatio hominis ad bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria, &c.* De commistione maris & feminæ Arist. *l.* 1. *de Repub. c.* 2. ait: *Oportet conjungi marem & feminam procreationis causa, atque hoc non ex consilio proficiscitur, sed ut & in aliis animantibus, & stirpibus naturale est, tale alterum, quale ipsum sit, cupere relinquere*. Qui ideo *l. de generat. animal. cap.* 20. vocat generationis principia marem & feminam: & hoc est quod voluit dicere Virgil. *in Georg.*

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque,
Et genus æquorum, pecudes, pictæque volucres;
In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Hinc animalium pugnæ propter feminas. Oppian. 1. *Lacons.* Appoll. 2. *Argon.* Ovid. 9. *Metamorph.* De educatione vero ita Liban. *declam.* 26. quæ est Calasichri actio. *Sunt*, ait, *parentibus de liberis latæ leges, multo his quæ scriptæ sunt venerabiliores, ab ipsa natura infixæ, ac stabilitæ, quæ volunt procreatores suis liberis maxime favere, & omnes pro ipsis labores sucunde subire*. Et Tullius *l.* 4. *de finibus*, sic loquitur: *Natura tributum esse docuerunt, ut hi qui procreati essent, a procreatoribus amarentur*. Et 2. *de natura Deor.* hæc profert: *Quid dicam, quantus amor bestiarum in educandis, custodiendisque iis, quæ procreaverunt usque ad eum finem, dum possint seipsa defendere*. Addidi ad hæc jura, sui, & fœtus tuitionem, nam ut ait Tull. *lib.* 4. *de finib. bon. & mal. Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut & salva sit, & in genere conservetur suo*. Et *in Topic. Natura partes habet duas, tuitionem sui, & ulciscendi jus*. Quare Orig. *in Psalmos*, dixit, animas brutorum habere propriam, & peculiarem conservandi sui rationem; & consequenter partus sui, in quo unumquodque per generationem conservatur; idcirco Tull. 1. *Tuscul. Quia bestiæ pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant, nullos impetus, nullos ictus reformident*. Igitur negari non potest, nisi omnibus Scriptoribus fidem subtrahamus, jas natura-

naturale commune esse hominibus & brutis, Quod ex nostro jure probant disserti textus *in l. 1. §. jus naturale, de just. & jure, princ. Instit. de jure naturali*: & pro Theologis probat D. Thom. nuper relatus, & *qu. 95. seq. art. 4. ad 1.* ubi ita inquit: *Ad primum ergo dicendum, quod jus gentium est aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationale, in quantum derivatur a lege naturali per modum conclusionis, quæ non est multum remota a principiis; undè de facili in hujusmodi homines consenserunt. Distinguitur tamen a lege naturali, maxime ab eo jure, quod est omnibus animalibus commune.* Ergo qui invehunt in nostros Jureconsultos, eo quod commune jus naturale fecerint omnibus animalibus, necesse est, ut pariter ab Angelico præceptore recedant, qui idem non obscure docuit: quod ego non faciam.

11 Exponitur communis difficultas.

Illud vero solet opponi, jus naturale a ratione naturali dictari; applicari nobis secundum dictamen nostræ rationis naturalis practicæ, per quod actus humanos regimus, & ad bonum honestumque dirigimus: quæ omnia ut certa sunt, ita constat ad animalia irrationalia non pertinere. Ergo juris naturalis non participant. Hoc tamen argumentum valde debile videbitur illis, qui legerunt numeros præcedentes; si enim probaret propter defectum rationis non convenire jus naturale brutis, probaret etiam ex eadem causa legem æternam comprehendere omnes creaturas, ut comprehendit etiam expertes sensus. Itaque, ut ibi philosophamur cum D. Aug. & D. Th. philosophandum. Ratio in mente divina existens, quæ est lex æterna, per viam præcepti dirigit genus humanum ad finem debitum; & ceteras creaturas expertes rationis agit ad proprium finem, imprimendo illis instinctus, seu inclinationes necessarias ad consectionem illius. Ergo pariformiter ratio naturalis immediate participata a lege æterna movet genus humanum ad bonum secundum naturam per viam præcepti, & secundum dictamen practicum rationis naturalis, quod docet honestum eligere. Cetera vero animantia agit & adigit ad particulare bonum sui, & commune bonum totius speciei per viam simplicis obedientiæ, & naturalis inclinationis inditæ a Deo Auctore naturæ. Ergo bruta non participant juris naturalis per rationem, ut homines; sed per instinctum vel impetum, ut dicebat Seneca supra laudatus: sive, ut dixerunt eximius noster Præses Covarr. *in regul. Peccatum, 2. par. relect. §. 11, num. 4.* Anton. Faber *in rationali ad l. 4. de just. & jur. & in Papinianea, tit. 2. in princ. 1.* Cfualdus *ad Donellum, l. 1. c. 6. lit. G.* jus naturale convenit hominibus formaliter; brutis vero materialiter. Quem modum dicendi præfero, quamvis Greg. Lopez Madera *animadv. juris cap. 2.* quem laudant, sequuntque Marcus Lyclama *l. 7. membran. eclog. 30.* Ofuald. *ubi proxime*, & nullo laudato pro more Marcus Aurelius Galbanus, vir in disputando acer, & in eloquendo alacer, *de usu fructu c. 5. ex n. 8.* existimaverint rationem juris naturalis non esse inspiciendam in obedientibus, sed in Legislatore, qui est Deus. Homo enim secundum jus naturale etiam per rationem operatur. Et quamvis Antonius Clarus Silvius *in præfatione ad lib. de legib. c. 1.* posuerit tantum in sensu, non in ratione jus naturale; & illud, cui per rationem obedimus, jus gentium primarium appellaverit; excludit enim a jure naturali homines, ut homines sunt: & licet Petrus Faber *l. 2. semest. c. 1. in principio*, existimaverit figurate, & per quamdam auxesin loquatum fuisse Ulpianum, cum dixit naturam docuisse etiam bruta jus naturale; hic enim docendi modus tollit juris naturalis peritiam brutis, qua censentur: alii etiam aliter. Tamen eorum discordantes sententiæ secundum hæc ad concordiam reduci possunt. Videndi sunt ex Theologis Sotus de *just. & jur. l. 1. q. 3. art. 4. & 5.* Suar. de *legib. l. 2. c. 1. & seq.* Alphons. de Castro de *potest. legis pœn. l. 1. c. 4.* Azor. *t. 1. Inst. mor. l. 6. c. 1. & 2.* Tap. *to. 1. Cas. mor. l. 4. q. 2.* Ex Jurisperitis Morla *in emp. juris, tit. 1. in prælud. ex n. 27.* Barb. & I. Dartis in *c. jus natur. 1. d.* Hugo Grot. de *jure belli l. 1. c. 1. & 2.* I. Seldenus in *Mari clauso l. 1. c. 3.* Anton. Govean. *l. 1. var. c. 19.* Lyclama *d. l. 6. eclog. vult.* Spond. de *comet. sacris l. 1. par. 4. c. 4. n. 2. & c. seq.* Purturetus *in suis parallelis dist. 34.* & alii quos tædii evitandi causa omitto.

12 Jus naturale qualiter sit in brutis, & hominibus.

Alio ergo modo se habet jus naturale in brutis, alio in hominibus. Bruta inclinantur per illud ad conservationem sui, sese ab oppressoribus, etiam per impetum defendendo, *l. 1. §. cum arietes, ff. si quadrupes*: quia naturalis juris est vim vi repellere; nam, ut est in *l. sciendum, § qui cum, ff. ad l. Aquil. Vim vi defendere omnes leges, omniaque jura permittunt*. Est insitum animantibus, quocumque modo id fiat, non autem hominibus, nisi intra modum. Qua ratione intelligendum est, quod dicitur in *l. 4. ff. ad leg. Aquil. Adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere*; & illud Ovidii 5. *de arte amandi*:

Armaque in armentos sumere jura sinunt.

Quia hi non simpliciter injuriam, & vim propellere debent, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, *l. 1. C. unde vi*: quod moderamen a ratione, qua carent animalia, deducitur; & ideo jus naturale hoc casu in homine facile transit in jus gentium: quo pacto vim vi propellere, dicitur esse juris gentium in *l. 2. ff. de just. & jur.* Ratio enim dictavit, ut cum moderamine jam dicto propelleretur; natura vero tantum dictabat, ut propelleretur, teste Cicer. 1. *offic.* cum ait: *Omni generi animantium a natura tributum esse, ut se, vitam, corpusque tuentur*. Item ad conservationem speciei per conjunctionem maris & feminæ, & per liberorum procreationem, in quibus tamen fi errant, vel deficiunt, non tamen puniuntur, ut dixit Polybius *d. l. 6. hist.* Quia non sunt capacia præcepti, sed tantum simplicis obedientiæ, & inclinationis: homines vero peccant, cum a recto deviens, transgrediantur que præceptum, & operentur contra dictamen rationis naturalis; in quo positivo præcepto non est opus, ut late, & eleganter edisserit Serenus Abbas apud Cassianum *d. collat. 8. c. 23. per tot.* Ex quo concludimus, per hoc dictamen practicum nostræ rationis naturalis humanos actus nostros, qui sunt liberi, regi, & dirigi ad bonum, honestumque, qui est finis juris naturalis.

13 Differentia legis æternæ, & juris naturalis.

Sed nunc merito quæres: Si lex æterna dirigit cuncta creata in suos fines, & homines dirigit per viam præcepti, ceteras creaturas per modum simplicis obedientiæ, quod tantum facit jus naturale; ad quid post legem æternam jus naturale constituitur, tamquam ab illa derivatum? superfluum quippe videtur. Sed ut respondeam, primo observo, legem æternam latius se extendere, quam jus naturale; illa enim extenditur ad cuncta creata, etiam sensus expertia: hoc solum animalibus constitutum est. Deinde observo, per legem æternam simplicissimam creaturas ad suos fines moveri, & agi eo præcepto, quod omnia sunt ordinatissima: per jus vero naturale imperari bonum honestum conveniens, quod scil. est medium ad consecutionem finis. Ergo lex æterna est principium juris, per quod petimus finem; jus naturale est prima derivatio, per quam curamus de mediis congruentibus ad illius consecutionem. Bruta sese defendunt, miscentur inter se, liberos, aut si velis, filios procreant; & sic suum finem consequuntur: hæc tamen media non legi æternæ accepta feruntur, sed juri naturali. Homines assequuntur finem naturalem eadem faciendo, sed finem supernaturalem, cui sunt creati, non aliter assequi possunt, quam bene, & conformiter juri naturali, legibus fidei, & gratiæ operando. Idcirco jus naturale plura præcepta injungit hominibus, quam ingerit brutis. Referamus nunc verba D. Thomæ *1. q. 94. art. 2. in corp.* quæ supra non retulimus. *Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria: sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de Deo; & ad hoc, quod in societate vivat; & secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad hujusmodi inclinationem spectant: utpote, quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conversari, & cetera hujusmodi, quæ ad hoc spectant*. Itaque in homine proprie est juris naturalis vivere, tam secundum suam naturam, quam secundum communem generis humani, ut supra dixi.

14 De præceptis juris naturalis.

Primum, & communissimum præceptum est secundum eumdem Angelicum Præceptorem *d. q. 95. art. 4.* quem etiam sequitur doctiss. nost. Vasq. Menchaca de *success. creat. §. 1. ex n. 2.* hoc, BONUM FACIENDUM; & per contrarium, MALUM VITANDUM. D. Basil. *in princ. Proverb.* ibi: *Monet ipsos habere judicium quoddam naturale, per quod ab iniquis bonos discernimus, & faciunis agendorum optionem, rectaque rerum discrimina; & fovemus virtuti, damnamus vitium*. Quo sensu Tertull. *in Apolog.* dixit animam esse naturaliter Christianam; quod non convenit brutis, quia nihil appetunt sub ratione bonitatis formalis, sed suæ utilitatis. Tantum ergo convenit hominibus, qui per dictamen rationis naturalis sciunt discernere bonum a malo; & quidquid appetunt, est sub ratione boni, vel veri in se, vel apparentis, ut tradit Aristot. *in princ. libri 1. Polit.* Hoc communissimum præceptum pertinet ad hominem, quatenus seipsum respicit. Sequitur aliud, quod tendit in hoc, ut in societate vivat, quia homo est animal natura sociabile, ut dixit Aristot. *d. l. 1. c. 1. Quod tibi fieri non vis, alteri non facias*. Matth. 7. & Luc. 6. quod acceptum a Christianis in ore habuit frequentissime Imperator Alexan. Severus, ex Æl. Lamprid. & multa sunt, ad quæ jus istud porrigi potest, ut constat ex D. August. qui explicans locum hunc Psal. 57. *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum*, ait: *Quid nullius est, qui sola natura duce non assentat, nolle accedi ab altero ad uxorem suam, sibi furtum fieri; & qui velit injuriam pati, cui non displicat pavem sibi negari esurienti, peregrinum non suscipi; dictaque rationem naturalem, ut eadem aliis vel non faciemus mala, vel bona prestemus*. Additque sic natura comparatum esse, ut ex abundantia quisque cordis loquatur; bonus bona, malus mala: nec sibi aliud dici velit, aliud sentiri. Et ad hoc Juris istius præceptum etiam referri debet illud Ciceronis 3. *Offic.* cum ait: *Ut sibi quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri acquiri, concessum est non repugnante natura: illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias augeamus: neque vero hoc solum natura, idest jure gentium; sed etiam legibus populorum, quibus, in singulis civitatibus Respublica continentur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri*. Cum enim inter nos cognitionem quamdam natura constituerit, consequens est nefas esse hominem homini insidiari, ut deduxit Florent. *in lib. Ut vim 3. de just. & jur.* Plus ausus fuit ingeniosissimus Papinian. *in leg. Servus 7. de serv. export.* nempe hominis interesse hominem beneficio afficere: quod potuit sumere a Cicerone *l. 3. Offic.* illis verbis. *Hoc natura præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam tantum, quod is homo sit, consultum velit*. Animose Sen. *epist. 28.* ad suum Lucilium: *Non potest*, ait, *quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad suas Vanitates convertit. Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere*. Quod ad dogma Christianæ Fidei reduxit D. Leo *epist. 8. ad Athan. Thessalon. Episcopum*, dicens: *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius*. Sicut Apostol. *ad Philipp. 3.* ait: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad ædificationem; nec enim poterit unitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis adstrinxerit*. Addendus erit pro ejusdem sententiæ illustratione Merilius *lib. 1. prior. observ. cap. 12.* De iisdemque mutuis officiis,

officiis, præsertim erga mortuos, multa adducit Petrus Faber *l. 2. Semest. c. 1.*

15 De eisdem præceptis a consultis relatis.

Præcepta hujus Juris a Consultis indicata, non alia in effectu sunt, quam quæ recensentur in *l. just. 10. §. 1. ff. de just. & jur. §. Juris præcepta, Inst. eod. tit.* de quibus varia sentit Meril. *l. 1. prior. observ. c. 11.* Honeste vivere continet decentiam naturalem erga se, tam famæ quam corporis intuitu; quia per incontinentes mores, & dissolutam vitam utrumque lædit, contra proprii dictaminis rationem, *l. probrum 42. ff. de verb. signif. Adulterium natura turpe est*. Alterum, non lædere proximum, est justitiæ, quæ est ad alios: ergo contra naturalem rationem est alterum damno afficere, vel in rebus per furtum, vel in vita aut persona per vulnus illatum, *d. l. probrum 42.* ubi natura furtum probrum censetur, *l. 1. ff. de furtis, l. ut vim, ff. de just. & jur.* ubi docemur inter nos cognationem quamdam naturam constituisse. Unde deducit Florentinus, nefas esse hominem homini insidiari: per contrarium Papinian. in *l. Servus, ff. de servis export.* ejusdem cognationis ratione nixus docuit interesse hominis hominem beneficio affici. Vide pro hac eleganti sententia Merilium *l. 1. prior. observ. c. 12.* Postremum est, jus suum cuique tribuere, quod ad pactiones, restitutiones, & solutiones rerum debitarum proprie spectat, quarum implementum merito rationi, & æquitati naturali assignatur, sive attribuitur *in l. 1. ff. de pactis, l. 1. ff. de constituta pecunia, l. Stichum 95. §. naturalis, ff. de solutionibus*. Hæc omnia præcepta respectu omnium hominum hoc uno clausit divina sapientia Christi Domini apud Matth. *c. 7. Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & prophetæ*. Hæc etiam præcepta ista distinxit Galban. de *usufr. c. 5. n. 5.* Honeste vivere refertur ad se vivere, secundum virtutem; solum enim est bonum, quod est honestum. Senec. *ep. 71.* Alterum non lædere, refertur ad alios in bonis corporis, veluti non occidere, vulnus non infligere. Suum cuique tribuere, ad alios etiam, sed respectu fortunarum. Alii aliter exponunt hæc præcepta, quos non moramur. Videndus est Vellejus *ad leg. 1. de just. & jur. l. 2. ex n. 20.*

16 De materia juris naturalis.

Materia juris naturalis alia fuit pro diversitate temporum, atque alia in initio. In initio non versabatur circa commercia, cum nondum essent inventa *l. ex hoc jure 5. ff. de just. & jur.* nec circa restitutionem rerum male partarum, cum nondum esset dominium privatarum rerum in speciali; quæ merito attribuuntur juri gentium; sed posita, & facta dominiorum distinctione, ad jus naturale reducitur prohibitio furti, & probrum natura est furtum committere, *d. l. 1. ff. de furtis, d. l. probrum 42. ff. de verb. signif.* ut explicat D. Josephus de Retes *l. 7. Opusc. c. 2.* præceptor meus, a quo plurima in utroque jure singularia me didicisse, nisi lubens & bona fide agnoscerem, ingratissimus forem, imo furti reus; quia, ut ait Theodor. *in præf. ad Cantica: Ne furti nos insimulent, si quid quod a Patribus dictum sit, in sis commentariis offenderint; fatemur & nos ab illis explanationis occasionem accepisse: hoc autem non furtum appellari debet, sed paterna hereditas*. Sic etiam implere fidem datam, ad jus naturale reducitur, licet commercia a jure gentium sint; quia hoc est materia, circa quam; non jus, quia hoc provenit ab illa naturali ratione, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: quod humanæ fidei est fundamentum. Deinde rerum status non erat jus naturale, sed materia, circa quam tunc versabatur jus illud, veluti in libertate, in qua homines naturaliter nascebantur. Injuria est naturalis, si quis alium vi opprimat, *l. 2. ff. de lib. hom. exhib.* Communio omnium rerum a singulis non occupatarum, non erat jus naturale, sed in tempore, quo vigebat jus naturale, erat materia, circa quam in illa prima ætate jus naturale versabatur: quapropter tunc similiter injustitia naturalis fuit hominem arcere, interdicere a communi rerum fruitione, *l. injuriarum 23. §. ult. cum leg. seq. ff. de injur.* Sed postquam usus hominum exegit, ut res communes dividerentur inter singulos, quia propagata gente communio afferebat multas incommoditates, vel propter evitandam segnitiem eorum, qui victitare volebant ex alienis laboribus, vel propter tollendas discordias, quæ ex communione oriebantur, ut vidit Aristot. *l. 2. polit. c. 3.* post quam Papinian. *in l. cum pater 77. §. dulcissimis, de legatis 2. l. 2. C. quando & quibus 4. pars, l. 10.* Lactant. *l. 3. div. instit. c. 21.* non fuit mutatum jus naturale, sed status, qui primis illis temporibus vigebat; & incepit alia materia nova esse, circa quam juris naturalis præcepta exercerentur. Anton. Clarius *in præfat. ad lib. de legib.* materiam mutatam fuisse dicit, non formam, quia etiam servitus positis bellis consentanea est rationi naturali. Videndi sunt D. Thom. *1. 2. q. 94. ar. 5. ad 3.* Azor. *p. 1. inst. l. 6. c. 1.* Grotius *de jure belli l. 1. c. 1. §. 10.*

17 De jure gentium.

Jurisconsulti consequenter his, quæ de jure naturali, communi etiam brutis censuerunt, appellarunt hoc, quod provenit ex dictamine rationis naturalis, jus gentium, sive jus omnium hominum; cum tamen negare non possent, omnia quæ juri gentium attribuuntur, illis imputari non posse, distinxerunt inter ipsum jus gentium: primum appellarunt, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit, idest Deus, ut ex Stoicorum disciplina probatum est: secundum dixerunt, quod usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ sibi constituerunt. Ita colligitur *ex l. 1. §. ult. l. ex hoc jure 5. leg. omnes 9. in fine de just. & jur.* & §. 1. & 2. *Inst. de jure naturali, l. 1. ff. de acquir. rerum dom. l. penult. ff. de legib.* quod jus humanum dixerunt Sen. *l. 3. de benef. c. 18.* & Lybius *l. 5.* qui violatores juris gentium vocat violatores juris humani. Unde DD. facilioris explicationis causa primum appellant primarium jus gentium; secundum appellant secundarium: quæ voces placuerunt duobus castigatissimis Auctoribus, nostro D. Petro Velez de Guevara *ad l. 1. de Just. & jur. l. 2. n. 21.* & Marco Aurelio Galbano *de usufructu c. 5. n. 2.* Displicuerunt pridem doctissimo nostro Fortunio Garciæ *in l. 1. §. jus natur. eod. tit.* & ibi Anton. Vaccæ Connano *l. 1. comment. c. 5. n. 3. & 8.* Pinelto *in rubrica C. de rescind. vend. 1. p. c. 1. n. 11.* & aliis apud Barb. *in c. jus gentium, 1. d. n. 2.* Cognosco ego quoque voces insolitas Jureconsultis; sed audeo dicere propriissimas esse rei explicandæ, si retinendum est jus naturale etiam brutis esse commune cum hominibus, ut affectavit summa vi Greg. Lopez, Madera *animadvers. lib. singulari, c. 2.* Jus enim illud quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit, si non est jus naturale, sed gentium, quibus solis attributum est, debet distingui ab eo, quod ex postfacto a gentibus fuit constitutum; atqui specifice non distinguitur, cum utrumque sit jus gentium secundum Romanos Jureconsultos: ergo debet distingui per prius & posterius. Lyclama *l. 7. membr. eclog. 31.* Non tamen sic omnes Jureconsulti: ecce Paulus *in l. jus pluribus 11. de just. & jur.* quod semper bonum & æquum est, jus naturale appellavit. Imo Ulpianus ipse jus naturale a jure gentium distinxit *in l. manumissiones 4. ff. de just. & jur.* & Tryphon. *in l. si quod dominus 63. de condit. indebiti*, libertatis statum jure naturali contineri dixit, servitutem ex jure gentium introductam; justitiamque naturalis, & gentium juris a civili separavit *in l. bona fides 31. ff. depositi*, agnoscens naturale jus gentium, & civile, ut compositores Institutionum *l. 1. tit. 2.* Melius ergo sic dicemus adhuc ex ipsis Consultis: Naturale jus est, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. Jus gentium est quod sibi constituerunt postea gentes humanæ, exigentibus necessitatibus communibus; quod merito positivum dicitur, & variabile; cum a necessitatibus hominum pendeat, & ab eorum consensu, quæ variabilia sunt. Illud, quia continet præcepta absolutæ bonitatis, dicitur invariabile, quod agnoscit Consultus *in l. circa finem, ff. de inst. & jur.* & Justinian. *in §. penult. de jure naturali*. Jus vero gentium cœpit ab hominibus in tempore; & quotidie introducitur, & expolitur, non quidem aliquo edicto, vel præcepto imperantis; quia nulla humana potestas est, quæ gentibus diversorum Regnorum leges politicas præscribere possit; sed moribus, & approbatione utentium. Idcirco Jurisperiti Romani multoties appellant mores jus ipsum gentium, *l. postliminium 19. de captivis, l. libertinus 8. l. ult. ff. de ritu nuptiarum*, notarunt D. Joseph. de Retes *l. 6. opusc. c. 2. n. 19.* D. Joan. Duran. *in differt. ad leg. Non dubito, de captivis 2. p. c. 1. n. 1.* & ita etiam jus gentium quotidie multiplicari in dies novis inventis, ex pluribus probat D. Solorz. *l. 3. de jure Indiarum, t. 1. c. 5. ex n. 12.* Prosequuntur prædictam distinctionem juris naturalis, & gentium cum Divo Thoma *1. 2. q. 93. & 94.* communiter Theologi, Suar. *de legib. l. 2. c. 1. & seqq.* Sotus *de just. l. 1. q. 3. art. 4. & 5.* Alphonsus de Castro *de potestate legis pœnalis, l. 4. c. 4.* Tapia *tom. 2. Catena moralis, l. 4. qu. 2.* Azor. *tom. 1. instit. mor. l. 6. c. 1. & 2.* & multi alii, quos nolo recensere. Ex Jurisperitis Covar. *in reg. peccatum, 2. p. §. 11. n. 4.* Morla *in emporio, tit. 1. in præludis, ex n. 27.* Augustinus Barbosa *in cap. jus naturale, 1. dist.* doctissime & late Petrus Faber *l. 2. semest. c. 1.* & *in lib. 1. de just. & jur.* Grotius *l. 1. de jure belli, c. 1. & 2. per tot.* breviter, nec satis expresse Jacob. Vvander Græphius *ad legem non dubito, cap. 1. de captivis*. I. Dartis *in differt. de jur. nat. c. 2.*

18 Differt a jure civili.

Itaque tenendum est jus gentium non uno instanti, non ab initio orbis nascentis, aut post diluvium restaurati, totum totaliter fuisse constitutum, sed successu temporis crevisse, & in dies crescere, ut humani usus, & hominum necessitates expostulant. Est enim causa juris gentium utilitas hominum, ut causa juris civilis est utilitas unius Regni, aut Reipublicæ: itaque non differt alterum ab altero per prius, & posterius. Forsan enim prius jus civile ortum habuit, quam jus gentium, si velimus ortum juris civilis traducere a Caino, qui Enochiam primus fundavit, terminisque agros divisit: & saltem dubitari non potest, quin multa sint instituta civilia; quæ postea approbatione facta fuerunt juris gentium. Non etiam distat circa materiam: nam tam jus gentium, quam civile in id tendunt, ut provideat hominum necessitatibus circa res, quarum auxilio vita humana indiget in commutationibus, commerciis, punitionibusque; eo enim fine bella introducta sunt ad propulsandam injuriam, puniendosque injuste tumultuantes. Differt ergo in extensione, quia jus gentium tamquam utile omnibus, & ab omnibus usu receptum, omnes obligat. Jus vero civile tamquam a supremo Principe in subditos latum, tantum obligat Regnum illud, cui Rex Princepsque legem dicere potest.

19 Jus gentium est immutabile.

Itaque tenendum est, jus gentium positivum esse, in eoque cum jure civili convenire; sanctius tamen est, & minus variationi subjectum: tum quia magis immediatam derivationem habet a jure naturali: tum quia utilius esse a posteriori probatur; siquidem pluribus placuit. Petrus Faber *l. 2. semest. c. 1.* unde difficilius abrogatur, vel ei derogatur, quia opus est, ut in derogatione, vel abrogatione conveniant etiam gentes; quod non faciunt, nisi mutata utilitate, aut diminuta. De eo sic explicans D. Isidor. D. Th. *1. 2. q. 95. art. 4. in princ. Videtur quod inconvenienter* Isidor. *l. 5. cap. 4. divisionem legum humanarum ponat, sive juris humani; hoc enim jure comprehendit jus gentium, quod ideo sic nominatur, ut ipse dicit eod. l. c. 6. quia eo omnes fere gentes utuntur; sed sic ipse dicit eod. l. c. 4. in princ. Jus naturale, commune omnium nationum. Ergo jus gentium non continetur sub jure positivo humano, sed magis sub jure naturali*. Ad cujus difficultatis explicationem ita suppo-

nit Angel, Magist. *in corp. art.* Sunt multa de ratione legis humanæ, secundum quorum quodlibet humana lex proprie, & per se dividi potest; est enim primo de ratione legis humanæ, quod sit derivata a lege naturæ, & secundum hoc dividitur jus positivum in jus gentium, & civile; nam ad jus gentium pertinent ea, quæ derivantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis, ut justæ emptiones, venditiones, & alia hujusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt; quod est de lege naturæ, quia homo est animal sociabile, ut *primo politicor, c.* 2. ait Arist. Quæ vero derivantur a lege naturæ per modum particularis determinationis, pertinent ad jus civile, secundum quod quælibet civitas aliquid sibi accommode determinat; & postea ita concludit: *Ad primum ergo dicendum est, quod jus gentium est quidem aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationale, in quantum derivatur a lege naturali per modum conclusionis, quæ non est multum remota a principiis; unde de facili in hujusmodi homines consenserunt; distinguitur tamen a jure naturali, maxime ab eo, quod est omnibus animalibus commune.* Sequuntur hanc sententiam, & convenientiam, quam facimus inter utrumque jus, civile, & gentium, Vasq. Menchaca *l.* 2. *controv. c.* 54. *n.* 4. quam adducit, & sequitur Grot. *l.* 1. *de jure belli, c.* 1. §. 4. Pat. Mol. *de justit. & jur. tr.* 1. *disp.* 5. Sotus *l.* 1. *de just. q.* 5. *art.* 4. Gibalin. *scient. can. l.* 4. *c.* 7.

20 De jure naturali Divino.

Jus naturale, ut ab eodem dictamine ejusdem rationis naturalis proveniens; semper idem est, sed ratione materiæ, circa quam versatur, bifariam dici potest, aliud jus naturale divinum, humanum aliud: religionem erga Deum Consulti nostri juri gentium attribuerunt, *l.* 2. *de just. & jur.* & Cicero *l.* 4. *de fin.* ait: *Porro firmissimum hoc adferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo hominum tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio: multi de Diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet; & omnes tamen, esse vim, & naturam divinam arbitrantur, nec vero id colloquio hominum, aut consensus efficit; non institutis opinio est confirmata, non legibus; omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda.* Et 2. *de inventione. Ac natura,* ait, *quidem jus est, quod nobis non opinio, sed quadam innata vis asserat, ut religionem pietatem, gratiam, vindicationem.* Et similiter D. Aug. *l.* 83. *qq. q.* 11. Idque jus gentium, quod ratio solo lumine naturali ita dictat, & universaliter, omnique casu, dicitur potiori ratione jus naturale, quam aliud jus gentium, quod ratio tantum in quibusdam casibus, & ob rerum necessitatem dictaret: & hoc sensu Tertull. *in Apolog.* probat naturalem esse Dei cognitionem; & D. Aug. *l. c.* ait: *Natura jus est, quod non opinio genuit, sed quadam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, per quam scil. vis, aut omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur.* Illud nempe quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit, quod ratione temporis primarium posse appellari supra dixi. Ex aliorum etiam Consultorum placito hoc ipsum D. Isidor. & post eum Grat. noster, appellant jus divinum; sed in nostro sensu, quia est debitum proveniens ex dictamine rationis circa materiam divinam. Adeo quidem, ut eadem ratio debiti, si circa rem humanam versetur, faciat jus naturale, quod possis appellare humanum: si vero versetur circa materiam divinam, faciat jus naturale divinum. V. g. si quæramus quo jure stipendia militibus, salaria Magistris, aut Magistratibus, demensa familiaribus debeantur? respondendum est, deberi ex jure naturali, cujus obligatio etiam ex sacris litteris colligitur, ut notavit Grat. *in princ. d.* 1. Extat Levitici c. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui usque ad mane.* Deut. c. 24. *Non negabis mercedem*: & Ecclesiastici 34. *Qui mercedem subtrahit mercenario, effundit sanguinem.* Tobiæ c. 4. *Merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Christus Dominus apud Lucam *c.* 10. *Dignus est mercenarius mercede sua*: apud Matth. *c.* 20. *Voca operarios, & redde singulis mercedem suam.* Quæ omnia testimonia mirifice comprobant convenientiam, quam hoc debitum habet cum ratione naturali; nemo enim debet alienis operis uti; & mercedem non solvere, sive meritam ex labore, sive nominatim pactam; nam hoc esset locupletari cum alterius injuria, & jactura, quod contra naturam, ejusque rationem esse probat textus *in l. nam hoc* 14. *ff. de condit. indeb.* non tamen est divinum, quia non est a Deo in tempore imperatum, ut attingens finem supernaturalem. Quare non consentio Menoch. *concil.* 228. *n.* 11. & *consil.* 570. aliisque apud Gabriel Alvar. de Velasco *de privil. pauf.* 1. *p. q.* 6. *ex nu.* 45. & Silvam *in suo tr. de salariis famil. a princ.* qui censebant, provenire a jure etiam divino hanc obligationem, quasi omnia quæ sacris in litteris fundamentum habent, juris divini dicenda sint; quod non est per se verum ita simpliciter prolatum. Econverso si quæratur, quo jure decimæ debeantur in novo Testamento Ministris Ecclesiæ, qui metunt carnalia, quia seminant spiritualia; & debent de Altari vivere, quia Altari serviunt, quia bovi trituranti non est os alligandum? Dicendum est, deberi jure naturali, propter compensationem laboris, quem impendunt: sed hoc jus divinum appellatur, quia materia, circa quam versatur, divina est. Quod ex multis testimoniis probat Grat. 15. *q.* 6. & 16. *q.* 1. *c. Parochianos, de decimis*, ubi dicemus *c.* 1. *eod. tit. in* 6. *Clem. ult. de pœnis*, ut cum judicio censuit Covar. *l.* 1. *var. c.* 17. ad cujus mentem reducendi sunt, qui postea scripserunt, quorum magnum agmen conducunt August. Barb. *de jure Eccl. l.* 3. *c.* 16. *in princ. ex n.* 5. Academiæ nostræ decus D. Joann. Solorz. 4. *tom. de Jure Indiar. l.* 1. *c.* 21. *ex n.* 44.

21 Exponitur cap. quo jure 9. d.

Fere per eamdem analogiam D. Aug. *tr.* 6. *in Joan.* relatus a Grat. *in c. quo jure*, 1. 8. *dist.* in quæstione contra Donatistas, qui quærebantur de ademptis sibi villis per Imperatoris rescriptum, causabantur sibi jus quæsitum tolli contra jus gentium: ut eorum audaciam compescat S. Doctor, primo docet, a jure humano dominia ortum habuisse, quod a Consultis hausit, *l. ex hoc jure* 5. *de Just. & Jure, c. jus gentium* 9. *dist.* 1. ibi: *Solium occupario.* Deinde ostendit hoc jus gentium immutari aliquando posse per jus civile, *l. jus civile, ff. eod. tit.* Unde multoties in pœnam male meritis dominium per leges civiles adimitur, quos expedit inopia laborare, ut vidit Triphon. *in l. bona fides* 31. *ff. depositi.* Unde deducit, si dominium vestrarum possessionum a jure humano introductum est; jure humano tolli potest, stante in vobis justa causa, quæ est impietas, quæ Cæsareum rescriptum justificat; eosque inobedientes per hoc merito appellat, qui prætextu juris gentium rescripto Imperiali obsistebant. Quod facillime probare posset Sanctus, a jure humano dominia privata provenire, si vellet juris civilis testimoniis uti, aut illis fideret: probat a sacris litteris magis operose, sed magis solide per hoc argumentum. A jure divino non est vestrum dominium: ergo est a jure humano. Quod non sit a jure divino probat ex illo Psal. 23. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Ita infert, si Domini est terra ex illo jure: ergo ex eodem vestra non est. Recte procedit consequentia, sed antecedens non adeo recte; omnes enim rationes, quæ Deo adstruunt hoc dominium, naturales sunt. Prima est ratio creationis de nihilo, *Gen. c.* 1. Secunda gubernationis, juxta illud Sapientiæ *c.* 24. *Tu Pater gubernas omnia providentia.* Tertia superioritatis, ex notatis vulgo *in leg. deprecatio* 9. *ad legem Rhodiam de jactu.* Ergo ex ratione naturali, jureque naturæ, dominium universale, & singularium rerum Dei est, ut ex ejusdem Psalmi testimonio colligit Sotus *lib.* 1. *de Just. qu.* 3. *art.* 4. prout est lex naturalis immediate participata a lege æterna, per quam omnia creata subordinantur Creatori. Plane ita est, sed Sanctus Doct. ratione Dei, ad quem refertur hæc subordinatio, appellavit hoc jus divinum, quasi jus Dei, quod proprium est naturale cum æterno conjunctum. Denique asseruit jus divinum ex sacris litteris petendum esse, quod per se patet; sed inde non est colligendum, quidquid ex sacris litteris possit deduci, juri divino esse attribuendum: inde enim etiam jus naturale colligitur, ut docuit Gratianus *dist. dist.* 1. *in princip.* quod etiam notavit ibi Barbosa *n.* 4.

22 De jure sacro publico.

Analogice etiam jus sacrum positivum Ecclesiasticum, quia de rebus divinis tractat, divinum solet appellari, quod etiam publicum appellatur, quia sacra non privati, sed publicis juris sunt, *l.* §. *hujus studii, ff. de justit. & jur. c. jus publicum*, 11. *dist.* 1. ab utroque tamen distinxerunt Cicero *l.* 1. *de legibus*, & Ausonius vulgo laudatus in Grypho ternarii numeri, his versibus:

Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ:
Sacrum privatum, & populi commune, quod usquam est.

Dicitur inquam, hoc jus divinum, non prout opponitur humano positivo, sed prout opponitur juri de rebus profanis disponenti: quo in sensu Justinianus *in lib. ut inter* 23. *Cod. de sacros. Eccles.* quæ in vulgari Codice est ultima, distinxit jus divinum a publico, & privato, sanciens, ut ea quæ piis locis relinquuntur, nulla temporum præscriptione coarctarentur, ut alias *in* §. *nullius, Instit. de rerum divisione, post* Gajum *lib.* 7. *Instit. titulo* 1. §. 2. & *in l.* 1. *ff. de rerum divisione*, notavit Glossa verbo *divinum, in dict. lib.* 23. ibi: *Duobus modis dicitur jus divinum; a Deo constitutum, ut Evangelia; & ipsi Deo constitutum, ut super rebus Ecclesiasticis factum, & hoc secundo modo accipitur hic.* Covarr. licet hujus textus, glossæque immemor *in practicis c.* 31. *nu.* 2. *versic. tertia vero*, Petrus Gudelinus *de jure novissimo lib.* 5 *c.* 1. Marcus Lyclama *l.* 7. *membran. ecloga* 40. §. 1. Cujacius etiam *l.* 15. *observ. c.* 53. eumdem sensum agnovit, licet non ita expresserit. Ex eadem etiam ratione, & per eamdem analogiam Jus Canonicum, quod humanum est, & positivum *c. non debet* 8. *de consang. & affin.* & a divino seu Evangelico distinguitur *in c.* 10. *dist.* solet divinum appellari, ut infra dicemus.

23 Omne igitur jus quod proprie divinum appellamus, positivum est, datum a Deo in tempore hominibus: quod cum Illustrissimo Tapia *t.* 1. *Caten. Moral. l.* 4. *q.* 26. *art. unico*, in communi ita potest definiri: *Lex a Deo Legislatore per se, & immediate lata ad finem supernaturalem.* Requirit ergo, quod a Deo sit immediate latum, ut dicatur divinum in hoc sensu proprio, quod omnes cum D. Thoma agnoscant. Hoc jus divinum dividitur in vetus, & novum. Jus vetus est, quod fuit datum a Deo per Angelos, & Moysem soli populo Judaico, ut disponeret ad finem æternæ beatitudinis consequendæ per JESUM CHRISTUM venturum. Dicitur datum a Deo, præsero enim sententiam existimantium, omne jus Judaicum, sive ad præcepta moralia pertinuerit, sive ad judicialia, aut cæremonialia, datum fuisse a Deo immediate, promulgatumque tantum fuisse a Moyse, tamquam proximo promulgatore, non vero legislatore; quia non fuit legislator nisi improprie, & propter promulgationis ministerium; quo in sensu accipiendi sunt, qui illum legislatorem appellant. Sic docuerunt Primarius noster F. Bartholomæus a Medina 1. 2. *qu.* 98. *ar.* 2. scite Prosper *l.* 1. *de promissis, c.* 40. Habriel Vasquez *art.* 2. Gregorius de Valentia *disp.* 7. *qu.* 7. *puncto* 1. *probat.* 1. Joannes Arboreus *l.* 10. *Theosoph. c.* 9. Gregorius Martinez *in* 1. 2. *q.* 98. *art.* 2. *dubio singulari*, Maldonatus *in Matth. c.* 19. Bellarminus *lib. de verbo Dei scripto, c.* 5. Raphael Aversa *ad qu.* 98. *art.* 1. Jacobus Gordonus *tom.* 1. *Theolog. Moral. l.* 2. *q.* 7. *c.* 2. *ex nu.* 4. & in hanc propendens, quamvis evasionem, aut concordiam contrariæ quærens, Pater Salas *de legibus disp.* 22. *nu.* 11 maxime *nu.* 14. & eximius Franciscus Suarez *de legibus lib.* 9. *cap.* 2. quia si a Moyse aliqua præcepta fuissent data, essent Ecclesiastica, & humana; & maxima confusio fuisset in distinguendis preceptis judicialibus, & cæremonialibus datis a Deo, a datis per Moysem; quidquid pissimus, & perdoctus Alphonsus Salmeron *in Acta tract.* 61 & 62. & 1. *ad Corinth. c.* 7. *qu.* 12. existimaverit, nonnulla, vel plerique præcepta ex judicialibus, & cæremonialibus immediate fuisse data per Moysem divino instinctu, & afflatu: quod præcitati non sustinent, ut nec illud, quod post aliquos PP. docuit Canus *lib.* 2. *de locis, c.* 16. permissionem liberi repudii factam fuisse a Moyse, non a Deo: contra quem disputant Suarez, Maldonatus, & Salas supra laudati. Dixi soli populo Judaico, quia Philo Judæus *in lib. de Joseph*, sive *de viro civili*, hoc jus divinum vetus, appellavit jus civile Judaici populi; non enim obligabat alios præter illum populum, juxta illud *Deuteron. c.* 4. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeant cæremonias, justaque judicia & universam legem.*

24 De variis legislatoribus.

Hactenus egimus de lege æterna, & de jure naturali, & ut ad jus divinum & positivum Ecclesiasticum perveniamus, sciendum est, aureo illo sæculo, quo penes sapientes Regnum erat, isque habebatur summus, qui optimus mortalium fuerat, testante Seneca *epist.* 90. aliis legibus opus non fuisse; namque ex illis geniti incorrupti naturam sequebantur, eamdem habebant & ducem, & legem, commissi melioris arbitrio: neque erat cuiquam aut animus in injuriam, aut causa, cum bene imperanti bene pareretur. Frustra ergo esset tunc lex, ubi nulla adhuc mala libidine, sine probro, & scelere, & sine coercitionibus homo agebatur, ut eleganter expressit Ovidius 1. *Metamorph.*

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem, rectumque colebat.
Pœna, metusque aberant; nec verba minantia fixo
Ære ligabantur: nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.

Nec multo aliter Tibullus *lib.* 1. *elegia* 3. Juvenalis *satyra* 6. Horatius *lib.* 1. *satira* 3. Lucretius Carus *lib.* 5. *de natura rerum*. Sed postquam irrepentibus vitiis cogitationes hominum ad malum natura pronas libido invasit; postquam (ut loquitur Tacitus *lib.* 6. *annal.*) *exul cœpit æqualitas, & pro modestia, ac pudore ambitio, & vis incedebat*; opus esse cœpit legibus, juxta D. Isidorum *in c.* 1. *dist.* 4. quas illis temporibus sanxere, dederuntque Sapientes, Solon Athenienfibus, Lycurgus Lacedæmoniis, Phoroneus Græcis, Hercules Celtis, Zoroaster Persis, Minos Cretensibus, Mercurius Ægyptiis, Numa & successores Romanis, & aliis alii, quo referunt Garzonius *in Theat. vitæ hum. tit. de Jurisconsultis*, Georgius Schombor. *lib.* 3. *polit. c.* 1. Hunnius *in Encyclop. lib.* 1. *c.* 3. Samuel Petitur *in præfat. ad Jus Aticum*, D. Joannes de Solorzano, magnus noster Prolyta, & professor, Cathedræ & Togæ decus, *emblem.* 66. Sed de his legibus & Jure Civili aliquid præfari institutum non patitur.

25 Ut ad Jus Divinum vetus, & novum egrediamur, scire oportet, Deum Optimum Maximum ad populi Judaici regimen legem Moysi dedisse, ut eam promulgaret cum præceptis judicialibus, moralibus, & cæremonialibus, anno mundi 2544. quartæ ætatis primo, die 6. mensis tertii, in monte Sinai, ut accurate traditur *Exodi c.* 14. *vers.* 12. referturque apud Soluer. 1. *vers.* 4. Malachiam *c.* 4. *vers.* 4. & ex Jacobo Saliano & Tornelio epitomavit Spondanus *in Annal. sacris, d. anno* 2544. *num.* 44. Judicialia, & cæremonialia præcepta hujus legis neminem obligarunt præter illum populum Judaicum: moralis vero, quatenus præcise naturalia sunt, & hodie obligant, & omnes olim obligarunt. D. Basilius *in epist. ad Diodor.* apud Balsamonem *pag.* 1019. Probat Grotius *lib.* 1. *de jure belli c.* 1. §. 16. & notis Tapia *lib.* 4. *Caten. Moral. qu.* 27. *art.* 7. *& seq.* non ex eo quod populo Judaico per Dominum data fuerunt; imo quidquid majoris obligationis, aut pœnæ inde contraxerunt, cessavit cessante lege, ut docent Gordobus *ubi proxime*, Granados *in* 1. 2. *controv.* 7. *de legibus, tract.* 4. *disp.* 5. *sect.* 2. *ex n.* 12. sed ex sua natura, & quia continent præcepta & jussiones conformes dictamini rationis naturalis, cujus moralia præcepta inter homines obscura erant, & per consuetudinem peccandi; cum fere universa caro corrupisset viam suam, extinxissetque rationis naturalis igniculos, qui excitant ad bene, & conformiter operandum. Quam etiam causam condendarum legum in Heroibus cognoverunt Lucretius *lib.* 5. *de natura rerum*, Horatius *lib.* 1. *Sermonum, satyra* 3. Tacitus *lib.* 3. *Annal.* Gratianus *in princip.* 4. *distinct.* nullus tamen melius expressit quam Cassianus *collat.* 8. *c.* 23. ubi copiose Alardus Gazeus. Quæ omnia præcepta moralia vel expresse, vel tacite reducuntur ad decem præcepta Decalogi, ut cum cura reduxit Angelicus Præceptor *d. qu.* 100. *art.* 3. 5. 6. & 7. Cetera vero judicialia, œconomica, cæremonialia ad classes operose reducit, & explicat usque ad quæstionem 105. inclusive, ubi commentatores, & alii supra laudati. Duravit hæc lex vetus usque ad legis novæ, seu gratiæ tempora; nam translato Sacerdotio, necesse fuit, ut legis translatio fieret, ut docuit Apostolus *in epist. ad Roman. c.* 6. 7. & 8. *ad Ephesios c.* 2. *ad Hebræos cap.* 7. *vers.* 12. ibi: *Translato Sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Quæ verba referuntur *in c. translatio, de constitut.* ubi ea exponemus: docent P. Suarez *lib.* 9. *de legib. c.* 10. 11. Covarruvias *lib.* 1. *var. c.* 17. Moneta *de commutatione ultim. volunt.* 1. *parte, c.* 3. Georgius Ambianus *ad Tertull. de pudicitia, c.* 6. *observ.* 1. Pater Serlogus *tomo* 2. *in Cantum, in fine c.* 2. *vers.* 3. Volduc. *de Ecclesia post legem, c.* 5. 8. & 9.

26 De lege gratiæ.

Cessante igitur lege veteri, cœpit obligare lex nova, sive gratiæ, quæ variis nominibus appellatur a sanctis Patribus, Lex libertatis, ab Apostolo *ad Corinth. ep.* 2. *cap.* 3. Lex fidei, ab ipso *ad Rom. c.* 3. Spiritus vitæ, ibidem *c.* 8. Lex nova a D. August. *tract.* 65. *in Joan.* Notavit P. Suar. *lib.* 10. *de legib. in princ.* Jus Divinum novum, sive legem Evangelicam proprie in rigoroso sensu esse, quod datum fuit per Christum Dominum immediate ad finem supernaturalem hominum: convenit enim in fine cum lege veteri, & magis communi, ex veriori sententia Theologorum, ut homines subdantur Deo, & illo fruantur. Differt vero ab ea secundum rationem perfecti, & imperfecti, quia vetus tamquam puerorum pædagogus erat. D. Paulus *in ep. ad Galatas, c.* 3. Lex vero nova dicitur lex perfectionis, *ad Colossenses cap.* 3. Rursus quæ veteribus in umbra accidebant, per adventum, mortem, & resurrectionem Domini impleta fuerunt. Hæc & alia D. Thom. 1. 2. *q.* 107. *art.* 1. & 2. Itaque necesse est fateri in Christo potestatem legislativam, & præceptivam, & de facto illa usum fuisse, esseque verum, & Divinum Legislatorem legis gratiæ, ut de Fide definitum fuit *in Trident. sess.* 6. *can.* 2. contra Lutherum & Bezam.

27 De potestate legislativa Ecclesiæ.

Quid hæc lex gratiæ determinasset, disco ab Angelico præceptore *q.* 108. *art.* 1. & 2. in cujus corpore hæc verba scribit: *Sic igitur lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit præcipiendo, vel prohibendo, nisi Sacramenta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis.* Ecce ad compendium sapienter, breviterque redactam totam divinam legem novam. Dominus enim tantum ordinavit tamquam legislator ea, per quæ in gratiam introducimur, & quæ sunt de necessitate medii, aut præcepti ad consequendam vitam æternam, ut præceptum de profitenda Fide, *March. c.* 10. Sacramenta, per quæ gratiam consequimur: in quantum vero obliget susceptio Sacramentorum, vide P. Salas *de legibus disp.* 24. *sect.* 1. Ordinem ministrorum, instituendo duodecim Apostolos, septuaginta & duos discipulos, intimavitque, & ad perfectionem statum reduxit præcepta moralia Decalogi, quæ omni statui & tempori communia, & necessariæ sunt ad salutem: non tamen omnia jussit, vetavit aut permisit, nec per illam legem a se latam ita in particulari Christus Dominus de omnibus, quæ ad spirituale regimen Ecclesiæ necessaria erant, providit; sed solum quædam substantialia fundamenta hujus spiritualis Reipublicæ instituit, reliqua vero disponenda commisit suis Apostolis, & eorum successoribus Ecclesiæ Pastoribus, quorum consilio & legibus institutam a se Ecclesiam regendam tradidit: tum ut suaviter, & modo hominibus congruo omnia ordinarentur: tum quia non poterant omnia in particulari ita statui, ut essent immutabilia. Hæc igitur determinatio fit per leges Ecclesiasticas, quæ ita necessariæ fuerunt in spirituali Republica, sicut civiles quæ ita necessariæ fuerunt in spirituali Republica, sicut civiles in temporali, ut probat Carolus Bovius *in præfat. ad const. Clem.* Alphonsus a Castro *adversus hæreses v. Ecclesia, hæresi* 3. Bohetius Epon. *to.* 3. *qu. heroicar. lib.* 1. *de jure sacro, cap.* 2. Rousselius *lib.* 1. *histor. Pontif. jurisd. cap.* 3. Accidit, nam cum Dominus ita se misisse Apostolos testetur apud Joan. *cap.* 20. *vers.* 21. quemadmodum a Patre ipse missus fuerat; constet autem a Patre fuisse missum cum legislatoris officio, ut supra probavi, & late firmat Theoph. Raynaud *tom.* 2. *tract. Christus Legislator, cap.* 7. *per totum*, necesse est Apostolos, & eorum successores eamdem potestatem legislativam a Domino obtinuisse; hæc autem potestas legislativa in universali Ecclesia residet penes Pontificem, tamquam Christi Vicarium, & D. Petri successorem, ut probat Michael Rousselius *lib.* 1. *hist. Pontif. jurisd. cap.* 3. *per totum.*

28 Quid jus divinum.

Unde nemo ignorare potest, quid sit Jus Divinum, quo hodie utimur ex lege gratiæ, nempe quod habemus a Christo Domino constitutum, scriptum in novo Testamento, vel per traditionem acceptum est, ut a Domino præceptum, & ordinatum. Marius Cutelius, multis relatis, quibus parcimus, *l.* 2. *de prisca & recenti Ecclesiæ libert. q.* 1. *n.* 6. Quod vero Apostoli statuerunt, & successores, Ecclesiasticum est, juxta distinctionem D. Pauli *epist.* 1. *ad Corinth. c.* 7. *Præcipio ego, non Dominus*: hoc est ecclesiasticum. *Præcipio non ego, sed Dominus*: hoc est divinum. Molina *de just. & jure, tr.* 1 *disp.* 5. addendi sunt late Sotus *eod. tr. l.* 2. *q.* 7. & 8. *per totas*, & *q.* 9. *art.* 1. *v.* 4. *conclusio*; Tapia *tom.* 1. *Caten. Moral. l.* 4. *q.* 28. *per totum*, Suar. *de legib. l.* 10. *c.* 1. & 2. *per totum*, Salas *eod. tr. disp.* 24. *sect.* 1. & 2. Azor 1. *t. instit. moral. l.* 6. *c.* 2. & 59. Lessius *de justit. l.* 2. *c.* 2. *dub.* 2. Aversa *in primam* 2. *q.* 98. *sect.* 6. breviter & more historico Petrus Gregor. *l.* 2. *partit. Juris Canonici, tit.* 1. Marius Cutelius *d. l.* 2. *q.* 2. *n.* 6. & alii, quos non moror. In lege autem Evangelica nullum continetur præceptum, quod non sit naturale, exceptis his, quæ pertinent ad fidem & Sacramenta. D. Thom. 1. 2. *q.* 108. *art.* 1. Bovar. *de martyrio.* 2. *p. c.* 6. § 10. *n.* 2. Barbola *in c. cum esses, num.* 3. *de testam.* Christus enim tantum determinavit ea, per quæ in gratiam introducimur, ut Sacramenta & opera charitatis. D. Thomas ubi proxime, qui articulo sequenti docet cæremonialia præcepta, quæ pertinent ad exteriorem cultum Dei, & judicialia, quæ referuntur ad proximum, non cadere sub præcepto novæ legis, quia istæ determinationes non sunt secundum se de necessitate interioris gratiæ, in qua lex consistit; idcirco humano arbitrio relicta fuisse, unde *ad* 4. hæc verba adjecit: *Ad* 4. *dicendum, quod judicialia etiam secundum se considerata, non sunt de necessitate virtutis; quantum ad idem determinationem: sed solum quantum ad communem rationem justitiæ: & ideo judicialia præcepta reliquit Dominus disponenda his qui curam aliorum erant habituri, vel spiritualem, vel temporalem.* Ex veteri etiam Testamento non potest deduci aliquam rem esse de jure divino proprie; ex eo solum, quod ibi

præcepta reperiatur, vel inde probetur per suppositionem aut relationem; quia translatio Sacerdotio, necesse fuit, ut legis translatio fieret, ex D. Paulo *ad Hebræos cap.* 7. relato *in cap. translato* 3. *de constitut.* Ergo quod secundum vetus tempus, legemque veterem fuit juris divini, cessavit per implementum legis, ea cessante, ut post D. Thomam notant Soco latissimè de *l.* 2. *de iustit. & jure quæst.* 5. *ussque ad* 7. Tiraquellus *in præfat. de retract.* Cutelius *dist. lib.* 2. *quæst.* 1. *ex num.* 1. Borbosa *in princ.* 4. *dist.*

29 Jus Canonicum dicitur divinum.

Jus leges istas Ecclesiasticas complectens aliquando appellatur Divinum, frequentius Canonicum, divinum dicitur *in cap. de judiciis* 3. 32. *dist. cap. suscipiens* 6. *distin.* 10. *cap. nimis* 30. *de jurejur. cap.* 1. *de juram. calum. cap. qualiter*, 24. *de accusat. cap. cum de diversis* 2. *de privil. lib.* 6. & aliis congestis a Tiberio Deciano *lib.* 8. *tract. criminal. cap.* 18. *num.* 1. & ita docuerunt Covar. *in prædictis cap.* 31. *num.* 2. *vers. verùm vero*, Petrus Gudelinus *de jure novissimo, lib.* 5. *cap.* 1. *& lib.* 6. *cap.* 1. Thomas Campegius *in tract. de residenz. number.* 7. qui invenitur *tom.* 15. *tract. Doctorum, fol.* 538. Matius Cutelius *de prisco immunit. Eccles. lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 7. Canus *lib.* 5. *de locis. cap.* 5. *vers.* 3. P. Salmeron *in Act. tract.* 61. *& in epist. ad Corinth. cap.* 7. Suarez *lib.* 1. *de legibus, cap.* 30. *nu.* 20. Gregorius Martinez *in* 1. 2. *quæst.* 98. *artic.* 2. *vers. inter Catholicos*, P. Salas *lib.* 2. *de legibus, disp.* 22. *num.* 2. Ratio hujus nominis est, tum quia ex ipsis sacris litteris, tamquam ex veritatis divinæ fontibus sacri Canones dimanarunt: tum quia auctoritate & potestate a Christo Domino concessa, a Vicario ejus, Ecclesiaque proferuntur, & in ejus nomine statuuntur, *cap.* 15. *Actuum Apost. Visum est Spiritui sancto & nobis*. D. Paulus *ep.* 1. *ad Corint. cap.* 14. *Si quis videtur prophetæ esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata*. Illustrat Melchior Canus *libr.* 2. *de locis, capit.* 16. Accedit quia de rebus ad Deum, ejusque cultum pertinentibus, statuitur in hoc jure, ut etiam divinum accipitur *in* §. *nullius, Instit. de rer. divis. leg. ut inter* 13. alias finali, *Cod. de sacros. Eccles.* ubi Glossa verbo *divinum*, quàm sequuntur Marcus Lyclama *lib.* 7. *membran. belogn.* 40. §. 1. Gudelinus *supra*, Cujacius *lib.* 15. *observat. cap.* 33. Georgius Obiratus *de princ. jur. cap.* 7. *nu.* 7. Hoc tamen nomen per analogiam datur, non quia proprie jus hoc sit divinum, nec ullum lego apud Auctores citatos testimonium, quod hanc sententiam ex terminis confirmet, nisi forte illud Petri Cluniacensis Abbatis D. Bernardo cœtanei, *lib.* 4. *epist.* 28. quem laudat Salas. Ego vero non addi, verba sunt: *Divina mandata diximus, non solum; ea, quæ per se ipsa Divinitas apparens in carne hominibus tradidit, aut ea, quæ per Apostolos teneri constituit; sive illa; quæ ante susceptam carnem per Patriarchas, aut Prophetas mandavit: sed illa etiam, quæ per Apostolos Apostolici viri Apostolica vestigia secuti, unanimiter in multorum Catholicorum consensu servari præceperunt.*

30 Juri Canonici ex. Dionys.

Frequentius jus hoc appellatur Canonicum, ut *in cap. Nicæna* 12. *dist.* 31. *leg. omnis* 6. *l. privilegia* 12. *Cod. de sacros. Eccl.* & aliis collectis a P. Franc. Valente *in concord. Juris Pontif. cum Theol. tit. in cap.* 1. *dist.* 3. dicitur quæ a canone. Canon autem apud Græcos idem significat ac apud Latinos regula; sic dictus, quia ducit homines ad regulate, recteque vivendum. D. Isidor. *in c. canon, d.* 3. ubi probarunt Turriscrem. Acunna, Barbosa & Joannes Dartis. Turrian. *pro canonibus Apost. lib.* 1. *cap.* 16. & 27. Salas *de legibus disp.* 1 *n.* 15. Azor *par.* 3. *institut. lib.* 1. *cap.* 6. Gibalin. *tom.* 1. *resent. can. lib.* 1. *cap.* 2. *per totum*. Ideo artium præcepta, ad quæ veluti ad certæ normæ artis rationes referuntur, canones appellantur. Sic Plinius *lib.* 34. *c.* 8. tabellam Policleti, quam pictores sibi imitandam proponebant, Canonem Policleti appellavit. Inde etiam tributum, sive anniversaria pensatio, quæ a Provincialibus quotannis Populo Romano pendebatur, canon appellabatur, ut constat ex titulis tam Codicis Justiniani, quam Theodosiani, *de canona frumentario urbis Romanæ*; *de canone frumentario Constantinop. & ex l.* 1. *Cod. de præediis tamiacis, lib.* 11. *leg.* 1. *Cod. Theodos. de indictionibus, leg.* 3. *eod. C. sine censu vel reliquis, l.* 11. *tit.* 1. *lib.* 10. *legum Visigoth.* Asconio 4. *in Verrem: Omne genus pensitationis in hoc capite positum, canonis, oblationis & indictionis*. Sidonio *lib.* 6. *c.* 10. *Debitum glebæ canonem non petatis*, Cælio Rhodigin. *lib.* 5. *antiq. lect. c.* 11. notarunt Brissonius & alii Lexicographi verbo *Canon*, Pancirola *lib.* 1. *variar. c.* 247. Petrus Gregorius *lib.* 3. *syntag. c.* 5. *& l.* 1. *partit. tit.* 2. *c.* 1. Cæsar Bulengetus *de Imperatore lib.* 6. *c.* 11. vel quia regula maxime in tributis servari debet, ut docte probat Solorzanus *Regiopolit. emblem.* 82. vel quia eorum exactio juxta regulam & consuetudinem facienda est, ut explicat eruditus collega noster D. Franciscus de Amaya *ad titulum Cod. de canone largit. l.* 10. *n.* 1. Etiam pro aliis pensitationibus canon accipitur *leg. finali*, §. *sin autem, Cod. de jure emphyt. cap. potuit & locator*; unde occasionem sumit Canonicos arguendi Vvol-Kuinus Abbas *homilia de Zizania*, docendo eos non a canone vitæ dici canonicos, sed a canone pecuniæ, & pensionis, quam percipiunt. *Rara*, ait, *avis in terra hodie, Canonicus a canone vitæ; unde ergo? audi unde: est namque canon vitæ, ut dictum est: & est canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ: unde soles dici, Solve canonem meum, idest pensionem meam, hoc est stipendum pecuniam meam. Ecce ergo, o Canonice! Inveniamus canonem tuum, a quo derivaris; idest a canone pecuniæ, non a canone vitæ; a canone regionis, non a canone religionis*. In eodem sensu canonem pro regula appellarunt Cicero *ad Tyrchem l.* 17. *ep.* 19. *Hebis tu, qui canon esse meorum soles scriptorum*. *Et in Panegirico*, Saltandi mensura, sive regula, canon dicebatur, Cælius Rhodig. *l.* 13. *antiq. lect. c.* 30. ex Julio Pollux notavit Petrus Faber *l.* 2. *Agon. c.* 1. Canon etiam accipitur pro charta illa, qua omnium clericorum nomina descripta legebantur, ut in canone 2. Concilii Antiocheni: *Ex Episcopis, Presbyteris, vel Diaconis, vel quicunque ex canone*: can. 16. & 17. Synodi Nicænæ, observavit Albaspinus *in notis ad d. can.* 2. Cum ergo canon apud nos sumatur pro regula, a Græcis denominatione accepta, recte a fidelibus illæ regulæ, quas ipsis pro legibus Apostoli, & ejus successiores tradiderunt ad veram justi, & injusti scientiam, Canones appellantur, & jus ex eis constatum Canonicum dicitur: quæ significatione aptissime utitur D. Paulus *ad Philip.* 3. *ad Galatas* 6. *&* 2. *ad Corinth. c.* 10. ubi enim in Vulgata Latina habetur, *ut in eadem permaneamus regula*: Græca verba ad litteram vertes, *ut eodem dirigamus canone*. Sed & D. Petrus, ut est apud Clem. *ep.* 1. *ad Jacob. Canones*, inquit, *Ecclesiæ diligendo, & servando recte novit*. Quod ideo libentius refero, quod hæretici nostri temporis impudenter asseverant, in hac significatione canones nostros assumi recentiorum esse commentum, cum ex proximè traditis constet, ab ipso Apostolorum tempore receptam esse hanc vocem in hac significatione. Et hæc de jure naturali, gentium, civili & canonico præjacienda necessarium duxi. Unde constat, quod cum homo quadrupliceter considerari possit, videlicet in genere, ut animal; aut in sua specie, idest, ut homo, vel ut subditus Romano Imperio, vel denique, ut subjectus Ecclesiæ Romanæ; si primo modo consideretur, utitur jure naturali; si secundo, utitur jure gentium; si tertio, utitur jure civili; si quarto modo spectetur homo, utitur jure Canonico, regulisque Ecclesiasticis. Itaque jus hoc alia omnia jura, eorumque fines, ac qualitates considerat, complectitur, ac dirigit, atque perficit; & in summa catenus modificat, ut æternæ salutis dispendium afferri minime patiatur; indeque paret differentia, quæ versatur inter finem juris civilis & canonici; quia licet utrumque jus intendat inducere homines ad bonum commune, differant tamen in modo inducendi: nam jas civile intendit hominem inducere in bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati civiliter, ac temporaliter viventi, eaque ratione ad finem quam promoveri potest per legalem justitiam, & amicitiam civilem. Jus vero canonicum intendit dirigere hominem ad bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati, non solum civiliter, sed etiam christiane viventi, & vitam aliam æternam expectanti; quem finem non possunt homines assequi per solam legalem justitiam civilem.

31 Primum Concilium Hierosolymitanum.

Sacri Canones initium habuerunt post Christi ad cælos ascensionem, ipsis temporibus Apostolorum, dum illi varia Concilia congregarunt ad Ecclesiæ regimen, veramque & catholicam doctrinam adstruendam, ut divinum cultum statuerent & Evangelicas leges stabilirent. Primum referunt Glossa ordinaria *in cap.* 1. *Actorum Apostolorum*, Baronius *anno* 34. *num.* 236. Hincmarus Rhemensis *in opusc.* 55. *capitulorum*, *c.* 44. Aloix *ad vitas SS. Ecclesiæ Orient. in principio, fol.* 21. celebratum esse, cum Apostoli convenerunt in domo Matriæ Matris Joannis, ut eligerent duodecimum Apostolum loco Judæ proditoris. Cum enim ibi orassent, statuerunt duos, Josephum, qui vocabatur Barnabas, & Matthiam: dederuntque sortes, & cecidit fors super Mathiam, enumeratusque est cum Apostolis undecim. Narrant hujus Concilii historiam D. Lucas *in Actibus a se vulgatis, c.* 1. *vers.* 26. & ibi: Chrysostomus Alexandrinus & Œcumenius, Dionysius *de Ecclesiast. hierarch. c.* 5. *l.* 3. D. Clemens *lib.* 8. *constit. c.* 5. relatus *in c.* 2. 26. *q.* 2. & ex eis Baronius *ubi supra*, Binius & Coriolanus *in notis ad ipsum Concil.* Cabassutius *in notitia Concil. in princip.* Quid tamen per sortes in eo intelligatur, & an electio ecclesiastica sorte fieri possit, latius exponemus *in e. final. de sortilegiis*.

32 Secundum Concilium Apostolor.

Secundum Jerosolymitanum Concilium eodem anno & loco habitum est ante martyrium Sancti Stephani: & refertur *Actuum Apost. c.* 6. Crescente enim numero fidelium, ortum est murmur Græcorum, hoc est discipulorum, qui ex Judæis conversis in Græcia commorabantur, adversus Hebræos Palæstinam habitantes, eo quod despicirentur viduæ eorum in ministerio quotidiano, videlicet in servitio mensarum communium, ut propositæ erant. Placuit ergo, cum æquum non esset Apostolos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, ut eligerentur septem Diaconi, quibus manus imposuerunt, id est, eos ordinarunt, ut exponunt PP. Concil. Neocæsareensis, relati *in c. Diaconi, 12. dist.* 93. Aquilgr *can.* 7. Dionysius *de Eccles. hierar. c.* 3. Cyprian. *l.* 2. *ep.* 63. *ad Rogatianum*; *Diaconos autem post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros*. D. Isidorus *lib.* 2. *de Eccles. officiis, c.* 8. ex his & aliis Ecclesiæ Patribus notarunt Salmeron & Cornelius a Lapide *in dicto c.* 6. *Actorum*, Severinus Binius & Coriolanus *in dicto Concilio Jerosolymit.* Baronius *num.* 39. *n.* 243. *& ann.* 35. *num.* 2. *& ann.* 224. *n.* 7. *& ann.* 57. *n.* 31. *& ann.* 112. *nu. fin.* Aloix *ubi supra*, Rabanus Maurus *l.* 1. *instit. c.* 7. Per manus enim impositionem Diaconi ordinantur. Concil. Carthag. 4. *c.* 1. *de sacrarm. non iter.* ubi latius probabimus. Franciscus Hallerius *de sacris electi.* 2. *p. sect.* 2. *cap.* 1. Bellarm. *de Sacram. Ordinis l.* 1. *cap.* 6. Jodocus Coccius *l.* 8. *thesaurus fidei Catholi. art.* 3. Josephus Vicecomes *de Missæ ritibus, vol.* 3. *l.* 1. *c.* 16. Facessat ergo sententia existimantium Diaconos ab Apostolis tantum mensis communibus, non etiam ministerio altaris fuisse præfectos, ut docuerunt Sebast. Cæsar. *de Eccles. hierar. dist.* 9. §. 1. ex Theolog. Lindanus *l.* 4. *Panoplia, c.* 9. Medina *l.* 2. *de contin. c.* 26. Gabriel Vasquez 3. *p. in* 3. *p. disp.* 236. *c.* 4. Nam hæc sententia refellitur primo ex forma præscripta electioni Diaconorum; quid enim ad cibaria curanda, eleuolenta ad mensas deferenda opus fuit ministris tam accurata solicitudine

electis,

electis, tam sacris ritibus initatis, ut notavit Cabassutius *in actis ad hoc Concilium*. Secundo ex effectibus ipsius electionis; statim enim post hanc ordinationem ex eis Stephanus cœpit prædicare, *d. c.* 6. *Actuum*: quod munus Diaconorum est, *c. perlectis*, §. *ad Diaconum*, 25. *dist.* probant Ferrerius *de ritu concionandi l.* 2. *c.* 2. Claudius Espenceus *ad ep. D. Pauli, lib.* 1. *digressionum, c.* 3. & nos *in c. inter cetera, de offic. ordin.*

33 Varia Diaconorum munia.

Initiati autem fuerunt in d. Concilio Jerosolymitano secundo Diaconi ab Apostolis, ut ministrarent mensis, stam communibus, quam sacris: communibus, non ut ceteris fidelibus laicis accumbentibus ipsi, quæ ad cibum, potumque pertinent, deferrent: sed ut eleemosynas inter egenos pro singulorum necessitatibus dividerent: & hoc munus etiam sequentibus sæculis Diaconos obiisse in Ecclesia testantur D. Hieron. *in Ezech. c.* 48. D. Ambrosius *de offic. Eccl. c. ult.* S. Leo *sermone de S. Laurentio*; paterque ex actis Sanctorum Cyriaci, & Smaragdi. Quamplura in hac parte congesserunt Baronius *d. an.* 34. Vasq. *disp.* 236. *c.* 6. *n.* 69. Espencens *d. lib.* 1. *digressionum, cap.* 4. Mensis sacris, idest, Altaribus, ut Apostolis sacrificantibus ministrarent. Unde in Ecclesia usus inolevit, ut Sacerdotibus sacrificantibus omnia disponerent, idest locum, in quo offerendum est sacrificium, necnon Hostiam & Calicem præpararent, atque illis ministrantibus adessent, *c. perlectis*, §. *ad Diaconum*, 25. *dist.* Concil. Aquisgran. *cap.* 7. D. Ambrosius *lib.* 1. *de officiis, c.* 41. ubi ita introducit B. Laurentium Diaconum alloquentem Sanctum Sixtum Pontificem: *Quo pergis sine filio Pater? Quo Sacerdos sancte sine Diacono?* D. Clemens *l.* 8. *const. c.* 34. Amalarius Fortunatus *de Eccl. offic. l.* 1. *c.* 12. imo constituti etiam fuerunt Diaconi, ut Eucharistiam, si Presbyter abfuisset, dispensarent, *c. Diaconis* 13. *c. præsente* 18. *dist.* 93. *c. Presbyteros*, 32. *dist.* 50. ubi loco illorum verborum, *Calicem offerant*, legendum est, *Calicem deferant*, ut notavit Morinus, *l.* 2. *exercit. cap.* 12. *c. nullus* 10. *q.* 1. Concil. Nicænum *can.* 14. Valense II. *can.* 2. plura Ant. August. *in epitome Juris Canonici, l.* 7. *tit.* 2. Landmeter *lib.* 2. *de veteri Clerico, c.* 75. Bulenger. *diatri.* 1. *in c.* 51. Cafauboni, *fol.* 227. Azor. *tom.* 5. *institut. lib.* 10. *c.* 13. & Calicem sanguinis Domini, vigente consuetudine communicandi sub utraque specie, ministrarent. Concil. Aquisgranense *can.* 7. Carthaginense IV. *can.* 38. D. Clemens *ep.* 2. *ad Jacobum*, D. Cyprianus *serm.* 5. *de lapsis*, Arator *lib.* 1. Historia Apostolica *ibi*:

Vera ministerii sacris Altaribus apti
In septis sequere viros, quos undique lectos
Levitas vocare placet: quam splendida cœpit
Ecclesia fulgere, mutuis qua pocula vitæ
Miscent; & corpus cum sanguine porrigat Agni.

Latius illustrat Cerda *in adver.* 94. Pamelius *ad ep.* 65. *D. Cypriani*, Cæsar *d. disp.* 9. §. 2. Espenceus *ubi sup.* Joseph. Vicecomes *de antiquis Missæ ritibus, vol.* 3. *l.* 1. *c.* 16. Etiam initiati fuerunt, ut legerent publice in Ecclesia Evangelium. Concilium Rhemense *can.* 5. Valense sub Leone I. *can.* 4. Probant Fortunatus *l.* 2. *de Eccl. offic. c.* 12. & 18. Guilleimus Durantus *in rationali Divini Officii, lib.* 5. *c.* 5. *n.* 10. & finito Evangelio efficerent energumenos catechumenos & hæreticos ab Ecclesia. D. Aug. *serm.* 237. *ad mensam*, Concilium Laodicense *can.* 19. D. Clemens *l.* 8. *const. c.* 8. & 9. Rabanus Maurus *lib.* 1. *inst. c.* 32. Plura observant Ferrara *de antiquo concionandi ritu, l.* 3. *c.* 3. & 43. Vicecomes *ubi proximo, l.* 1. *c.* 5. & *l.* 2. *de Baptismi ritibus, cap.* 10. Durantius *l.* 2. *de ritibus, cap.* 1. Corolianus *in Breviario, an.* 423. *fol.* 135. Brissonius *in leg. die Dominico, fol.* 129. *C. de spectaculis*, Loaysa *in notis ad can.* 1. *Concilii Valentini*, Landmet. *d. l.* 2. *c.* 81. etiam ut ex delegatione Episcoporum baptizarent solemniter, *c. Diaconos*, 93. *dist.* & habetur in Pontificali Romano *tit. de ordinatione Diaconorum*. Tertullianus de Baptismo: *Jus dandi Baptismum Summus Sacerdos habet, dehinc etiam Presbyter, Diaconus*. Dicemus *in c.* 1. *de cler. non ordin. min.* ac ut publice pœnitentes reconciliarent. Cyprian. *ep.* 13. Concil. Illiberitanum *can.* 32. ubi notavi, & *in c.* 2. *de furtis*, Albaspinus *l.* 2. *observ. c.* 33. aliaque munia obirent, quæ enumerant Doctores supra laudati, & Quintanadvennas *l.* 4. *Ecclesiasticum*, Zerda *in adversariis, c.* 34. Pamelius *ad D. Cypriani. ep.* 65. Ambianas *ad Tertull. de fuga cap.* 11. *observ.* 2. aliique de hierarchia Ecclesiastica agentes.

34 Tertium Concilium Hierosolymitanum.

Tertium Concilium (ubi plena Synodorum forma tradita fuit) celebrarunt Apostoli Hierosolymis anno Christis 51. Imperii Claudii 9. & refertur *c.* 15. *Actuum Apostol.* meminerunt ejus Synodi Div. Paulus *ad Galat. c.* 2. Patres Concilii V. Generalis in definitione contra alia cap. *Ad memoriam Vigilii Papa perluximus magna illa Apostolorum exempla, & Patrum traditiones: licet enim Spir. Sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod moliebantur, si oporteret gentes circumcidi; definire, prius quam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmarent, unde de eo communiter sententiam protulerunt ad gentes scribentes: Visum est, &c.* Sancti Patres & Theologi Positivi *in d. c.* 15. *Actuum*, Binius, & Coriolanus *in notis ad idem Concilium*, Baron. *anno* 51. Joannes Dartis *in c.* 1. *dist.* 15. Cabassutius *ubi sup.* Ansam huic Concilio dederunt Judæi fideles prædicantes, Gentiles ad Christum accedentes non posse salvari nisi per circumcisionem secundum legem Moysi, quorum antesignanum fuisse Cerinthum hæresiarcham tradit Epiphan. *heresi* 28. Hujus controversiæ definiendæ caussa cum Presbyteris & plebe Christiana Apostoli per orbem terrarum diffusi Hierosolymis convenerunt, ubi interfuerunt Apostoli tamquam legislatores, & judices; plebs autem, ut leges ab eis latas susciperet. Post hujus causæ disceptationem suffragio Apostolorum statutum fuit, neminem Christianorum lege circumcisionis, vel alia ceremoniali Judaica teneri, in hæc verba: *Visum est Sp. Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis ves ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. Sed in eorum paraphrastica expositione parumper subsistamus.

35 Expositio telati Concilii Paraphrastica.

Ajunt Apostoli, *Visum est*; & in eodem capite, *Placuit nobis*: verba ad solemnem pronuntiandi formalam tam in comitiis Ecclesiasticis, quam in judiciis, & Senatusconsultis valde usitata. Ephesina Synodus *can.* 3. & 4. Concil. Salegut. *can.* 3. *Ita visum est*. Caput *fures* 2. *de furtis*: *Visum est pro eis non esse orandum*. Concilium Carthaginense I. *can.* 1. & 10. Africanum *can.* 58. & 59. passim in Concil. Hispaniæ, præcipue Illiberitano, Tolet. I. & Barchinonensi. Mendoza *l.* 2. *pro confirmando Concilio, c.* 2. In judiciis etiam observatum fuisse, probatur ex Mar. Tullio *Verrina* 2. *Cum iste pronuntiat Sithenicum litteras publicas eo rapiisse videri*. Asconius *in argum. Cornelianæ*: *Senatus decrevit satisfactum videri*. Ex his & aliis probant Fornerius, Gentilis, & Cujac. *in l.* 2. *ff. de verb. signif.* idem Cujac. *l.* 3. *observ. c.* 26. Savarus *ad Sidon. l.* 3. *ep.* 12. *verb. Villeri*. Marranus *de equit. c.* 1. *fol.* 51. *Spiritui Sancto, & nobis*. Recte; nam cum Ecclesiæ gubernatio per Spiritum Sanctum peragatur, ut docet S. Basilius *l. de Spiritu Sancto, c.* 16. in Conciliisque præcipue Ecclesiasticis inveniatur, ubi conjuncti majorem gratiæ plenitudinem obtinent, quam singuli; juxta promissionem a Christo D. factam apud Matthæum *c.* 18. *Ubi sunt enim duo, aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Qua auctoritate ad adstruendam Conciliorum auctoritatem, & probandam eorum infallibilitatem utuntur Patres Concilii Chalcedon. sub Leone Papa *post medium, act.* 3. Synod. 6. contra Monothelitas, *act.* 17. Unde quæ in Conciliis statuuntur, dicuntur a Deo statuta, *c. igitur* 5. 25. *q.* 2. Sp. Sancto cum Angelis præunte, Concil. Arelatense in *ep. synodica ad Sylvestrium*: alia cumulant Boetius Epon. *l.* 1. *de jure sacro, tom.* 3. *qq. c.* 3. *n.* 223. Dartis *in c.* 1. 15. *dist.* Coriolanus *de orig. Concil. Nihil ultra imponere vobis*, prosequuntur Apostoli. Constat ergo hujus Concilii Apostolici veram fuisse definitionem. Quare S. Lucas præceptum illud appellat ibi, & *cap. seq.* Apostoli ipsi in canone 62. D. Joan. Chrysost. *homil.* 33. *in Matthæum*, ibi: *Vides brevem epistolam, nec epicheremata, atque syllogismos habentem, sed in pretium, erit enim legislatio spiritus*. Tria tamen a Gentibus non observata, in lege autem Mosaica præscripta, adhuc a Fidelibus esse custodienda, docent Apostoli. *Quam hæc necessaria, ut abstineatis ves ab immolatis simulacrorum*; idest idolothytis, sive rebus idolis immolatis, tamquam a contaminationibus: idolothytum enim est idolo datum, vel immolatum. Origenes *in ep.* 1. *ad Rom.* Svidas *v. Aliis geminatis*: Quod præceptum sequentibus sæculis Ecclesiæ variis Conciliorum canonibus, & Sanctorum Patrum decretis confirmatum fuit; semper enim valde execranda fuerunt Idolothyta. D. Chrysost. *in ep.* 1. *ad Corinthios, c.* 8. & 9. Justinus *in dialogo cum Tryphone*, ubi ait: *Eos qui vescuntur idolothyta, esse seductores, non vero Christianos*. Et in Concil Ancyr. *can.* 4. & 5. puniuntur variis pœnis in Concilioque Aurelian. II. *can.* 20. a communione Fidelium suspenduntur, & pœnitentiæ tempus exsolvere coguntur in Concil. Rehemensi *can.* 14. idem docetur *in ep. D. Basilii ad Amphil. cap.* 8. & in Concil. Illiber. *can.* 4. statuitur, ne quod idolis datum est, dominus ab œconomis acceptum ferat, ubi notavi, & *in c. sicut*, 32 *q.* 4. D. Aug. docet, *satius esse mori fame quam idolothytis vesci*. Idolothytorum nomine intelligitur, quidquid comestibile, aut potabile idolo sacrificatum, aut oblatum fuit in honorem idoli, quod postea manducare non licet, ne ita participantes videamur ipsius sacrificii. Plura de idolothytis omnino arcendis cumularunt Th. Hurtado *de vero Martyrio, res.* 29. §. 4 Dorleans *ad Tacit. lib.* 1. *fol.* 291. Mancinus *de triplici jure, c.* 95. Dartis *in Decreto, d. c.* 1. *dist.* 15.

36 Explicatur præcedens Concilium.

Secundum præceptum ab Apostolis in eodem Concil. impositum continet abstinentiam a sanguine & suffocato, quod repetitum invenitur *in can.* 67. *Apostolorum*, apud D. Clementem *l.* 6. *constit. c.* 12. Concil. Gangrensi relato *in c. si quis carnem*, 30. *dist.* Arelatensi II. *can.* 2. Synodo VI. *c.* 67. Vvormaciensi *can.* 65. Novella Leonis 58. apud Bucard. *l.* 19. *Decreti, tit. de illicitis cibis, can.* 61. Codicis Ecclesiæ Africanæ: apud Gregorium III. *in Pœnitentiali, c.* 29. & aliis canonibus congestis ab Ant. August *in epit. l.* 21. *tit.* 29. & ejus præcepti meminerunt Tertull. in *Apolog.* Cyrillus *catechesi* 4. Justinus Martyr *q.* 45. Greg. Nazianz. *serm. in sanctum Pascha*. Sed hoc præceptum Mosaicum esse nemo ambigit: nam *Deut. c.* 12. *vers.* 16. cavetur: *Tantummodo sanguinem non comedetis, super terram effundetis illum quasi aqua*. Et *vers.* 23. *Attende valde, ut non comedas sanguinem, quia sanguis est anima, & non manducabitur anima cum carnibus*. Et *Levit. c.* 7. *vers.* 17. *Omnis anima, quæ edet sanguinem, peribit*. Et *c.* 17. *Omnis anima ex vobis non edet sanguinem*. Et *Genesis cap.* 9. *Verumtamen carnem in sanguine animæ non comedetis*, Et 1. *Reg. c.* 14. *vers.* 33. Quomodo ergo in lege gratiæ observari jubetur ab Apostolis, & Ecclesiæ Patribus hoc præceptum cæremoniale; præcipue cum ciborum delectus Christianis vetitus sit, ut probant Baronius *an.* 179. *nu.* 32. & *an.* 196. *n. fin.* & *an.* 263 *n.* 25. Turrian. *l.* 3. *pro Canonibus, c.* 16. & *l.* 8. *c.* 6. & 7. & de Sancto Quadrato refert Beda in *Martyrol.* 7. *Kal. Jun.* hæc: *Apud Athenas B. Quadratus Episcopi, discipuli Apostolorum. Hic firmavit, ut nullo esca a Christianis repudiaretur.*

Op-